OPPIANI ANAZARBEI

De piscatu libri V. Laurentio Lippio interprete.

De venatione libri IIII. ita conuersi, vt singula verba singulis respondeant.

In eorum gratiam qui Græca cum Latinis coniungere volunt.

PARISIIS, M. D. LV.

Apud Guil. Morelium.

VITA OPPIANI, LAVRENTIO LIPPIO COLLENSE INTERPRETE.

OPPIANVS poëta, patre Agesilao, matre Ze
nodota natus, genere autẽ Anazarbo Ciliciæ
ciuitate. Cæterum cum pater eius opulentus
esset, & in republica inter primates iudicatus,
in philosophia plurimum excellebat, & philo-
sophicam vitã ducebat, & in huiuscemodi disci
plina, & in omnibus liberalibus artibus filium
erudiuit, præcipue in musica, geometria, &
grammatica. Cum Oppianus triginta annos natus esset, Seuerus
Romanorũ imperator Anazarbum venit. (oportebat enim omnes
reipublicæ optimates obuiam imperatori ire.) cum Agesilaus Op-
piani pater hoc paruifaceret, veluti homo qui philosophicam vitam
ageret, & inanem gloriã contemptui haberet, Imperator hoc iniquo
animo tulit, & illum in Miletum Adriatici maris insulã in exiliũ mi-
sit: in qua cum Oppianus patri cõgrederetur, scripsit hæc clarissima
poëmata, & Romam profectus, tempore Antonini Imperatoris filij
Seueri (Seuerus enim in fata concesserat) hoc obtulit volumen: & di
gnus iudicatus est, vt impetraret quicquid animo sederet. ille regres-
sum patris ab exilio petiuit, quod assecutus est, & pro quolibet carmi
ne aureum numisma suscepit, & in patriã cum patre regressus, sæuiẽ-
te in ciuitate Anazarbi paulo pòst peste obit. Ciues enim eũ sepelie-
rũt, & sumptuosam statuã illi erexerũt, & inscripserũt hoc epigrãma,

Oppianus vatum decus immortale fuissem,
Inuida ni gelidum rapuisset parca sub orcum
Me iuuenem placidæ clarum splendore camœnæ.
Ni liuor longæ violasset tempora vitæ,
Non mihi laude parem quenquam terra alma tulisset.

Scripsit alia poemata. Vixit annis triginta. habet stylum floridum &
planum cum fæcundia & maturitate, quod difficillimum est, & in sen
tentiis & parabolis præcipue excellit. De quo sic meminit Eusebius
in libro de Temporibus, Tempore antonini imperatoris anno eius
imperij decimo, ducentesima trigesimaseptima olympiade, anno mũ
di 5370, anno domini centesimo septuagesimo secundo, ab anno
Nini regis 2185, Oppianus Cilix poeta cognoscitur, qui Halieutica
miro splendore conscribit.

ARGVMENTA QVINQVE librorum Oppiani de piſcibus.

PRIMVS habet coitus, proles, & paſcua ponti.
Oſtendit fraudes, cædes, & bella ſecundus.
Tertius in piſces hamos, & retia iactat.
Ducit amor quarto captos in fata natantes.
In quinto delphinus amat, cetéque necantur.

ARG. SINGVLORVM LIBRORVM.

IN primo veniunt ad paſcua læta cohortes
Æquoris, atque ſcarus pallentes ruminat herbas.
Pompilus aſſociat nautas, ſequitúrque carinas.
Attoniti remoræ ponto miracula paruæ
Viderunt nautæ: noſcit patriámque penates
Aſtacus, in propriam cupiens remeare cauernam:
Carcenades ſpolium ſubeunt, tergóque coaptant:
Nautilus in ponto ſub nauis imagine ludit.
Neptuno delphin monſtrat Nereida pulchram.
Et coëunt piſces, atque agmina magna natantum
Euxinos ſulcant fluctus, atque oua reſoluunt,
Et fœtus edunt, & pignora chara tuentur:
Præcipue delphin princeps, vitulíque marini
Infantes catulos miro ſectantur amore.
TVRPE veneficium ſentit torpedo ſecundo.
Piſciculos aſtu capiens mala rana trucidat,
Sepia natiuos connectit caute rudentes.
Occiſæ ſquillæ figunt, perimúntque necantem
Labraca, ſed cancer teſtas depaſcit hiantes.

Sæuit,& humano bos dirus ſanguine gaudet:
Cuſtodit pinnam cancer,pinnámque tuetur,
Noctua quanta gulæ ſortitur damna voracis.
Polypus inſidiis,& duris aſtacus armis,
Et muræna ferox alterno marte domantur.
Et ſcolopendra vrit fœda prurigine corpus.
Letifero configunt vulnera iulides ore,
Et thynni,& gladij diro torquentur aſilo
In canis exortu,ſed non impune proteruæ
Delphinum lacerant amiæ,qui regnat in vndis,
Et ſalit in terram clauſurus littore vitam:
Atque ſcarus iuſtus non fœdat ſanguine ventrem.
TERTIVS in piſces hamos,& retia iactat,
Obſeruare docet tempus,ventóſque ſecundos,
Et volucri ſaltu cephalus fugit humida lina.
Mormylus,& labrax laqueos declinat arena:
Effugiunt hamos diſrupto vulnere multi.
Piſcantis manibus linquit torpedo rigorem.
Sepia ſub nigro fugit occultata liquore.
Inter ſe laniant,piſces ſunt piſcibus eſca.
Anthieon gentes venter compellit in hamos.
Cantharus in naſſam ſocios ſubigítque ciétque.
Dúmque parant aliis peſtem,labuntur in ipſam
Admoes,calchis mirrha capietur odora.
Aſt algis ſalpæ,ſed triglæ ſorde trahuntur.
Turbato rapitur ponto melanurus in hamos.
Terribiles gladij falluntur imagine falſa.
Sponte ſubit laqueos ſcombrus belonæque rotundę:
Et Celtæ,& Siculi,thynnos piſcantur Iberi.

IN quarto vires sævi narrantur amoris,
Eripitur scarus à socio de vimine cauda.
Fallit amor cephalos,& fœmina tracta per vndas.
Sepia fœmineo subit vltima fata furore.
In venerem pronus vxores cossyphus ardet.
Nec galei,& catuli socium discrimine linquunt.
Polypus ad glaucam reptat periturus oliuam.
Et sargus simæ capitur ab imagine capræ.
Hippurus laceræ prendit fragmenta carinæ.
Lolligo longi capitur sub stamine fusi.
Spiritus anguillas inflato viscere ducit.
Ast aphyæ nexæ nodum glomerantur in vnum.
Pelamydes vasta fundo sub mole trahuntur.
Vallatos spinis manibus trahit æquore sargos,
Pellit letiferis pisces in fata venenis.

IN quinto sternunt cete ductore perempto.
At lamnæ & catuli pereunt,dum vincula remi
Prendunt,collectam nodosa in retia prædam
Perturbant,pellúntque canes,sed vertice cæso
Occumbunt phocæ,quanquam impenetrabile telo
Tegmen habent,sole arripitur testudo perusta,
Aut resupinato,luctatur dum mare tergo.
Et desyderio pueri correptus amati
Immoritur delphin.violant pia numina Thraces,
Delphinum humano generi populantur amicum,
Piscandi socium subeuntem munera prædæ.
Purpura corripitur lanas sparsura colore,
Et cædunt spongas prædam,miserabile visu,
E fundo educunt mutilati corpore toto.

OPPIANI

OPPIANI DE PISCIBVS, LAVrentio Lippio Collense interprete, Lib. I.

DISPERSAS ponti gẽtes, aciésque natantum
Squamigeras, almæ varium genus Amphitrites,
Antonine canam, rerũ cui summa potestas:
Quæque procellosis habitant sub fluctibus alti,
Quæque maris veniunt ad pascua læta cohortes,
Et vitam,& madidas gentes,madidos hymenæos,
Turpe odium,& dulces veneris cantabo furores,
Consilia,& varias fraudes,artésque dolosas:
Quæque audax mortale genus super agmine ponti
Struxerit,& ratibus sulcans secreta profundi,
Multa occulta prius vasto sub marmore vidit,
Artibus emensum est pelagus,maris ima reclusa.
Prospectat venator aprum sub montibus altis
Depastum,atque vrsum diuersa ex parte ruentem:
Eminus hunc campo longe iaculatur aperto,
Atque palàm ferro prosternit comminus illum:
Horrida securo committit prælia campo,
Et fera venatórque simul,gressúmque sequuntur

Ponè canes,dominos ducunt ad lustra ferarum
Aspera:nec gelidæ tantum mala tempora brumæ
Horrorem metuent illi,tantósque calores
Non feret autumnus.defessi multa laborem
Venantis tollunt,nec desunt gaudia fesso.
Vmbrosæ syluæ natiui pumicis antra,
De celso fluuij labuntur monte perennes:
Hinc medicina sitis,hinc est medicina lauacri:
Et propter liquidas vndas,& læta fluenta
Sunt molles herbæ,prostrata cubilia somno.
Quin etiam viridi discumbens fessus in herba
Appones quæ sylua feret,quæ plurima monte
Nascuntur,sequitur venantem multa voluptas:
Et cui piscandi peior collata videtur
Gratia,tot campo,tot sunt mera gaudia syluæ.
At facilem paruo captat discrimine prædam,
Qui mortem molitur aui,videt omnia passim,
Letæo volucres perfusas membra sopore:
Clam rapit è nido,facili vel decipit arte
Aspersis visco calamis,vel retia tendit.
Dúmque petit nidum,somno deuicta volucris
Incidit in casses,subit & male cauta periclum.
Vndarum patiens,occulta pericula ponti
Piscator perferre solet(certamine tanto
Spes mulcet mentem,vanóque simillima somno):
Nulla supra firmam committit prælia terram.
In rigidis pugnat lymphis,tumidúmque per æstum
Tollitur à fluctu ventis agitatus iniquis.

Fit timor ex terra piſcantis bella tueri,
Nauigat in tenui cymba,ſeruítque procellis
Errando,atque animum tumida defigit in vnda:
Et ſpectat nebulas atras,horrétque nigrantes
Vndarum ſulcare vias ſpirantibus auſtris.
Nulla fuga,& nullos venientes effugit imbres:
Et miſeri æſtiuos nequeunt vitare calores,
Et ſecreta latent ſæui diſcrimina ponti,
Obuia quæ veniunt,horrent immania cete,
Per freta nulla canum monſtrant veſtigia prædæ,
Nulláque ſub lymphis proſpectant ſigna natantes.
Non prædam aduerſa cernunt de parte ruentem,
Cum piſces varios ſoleant percurrere calles.
Debilibus ſetis hamo piſcantur acuto,
Et lino & calamis,hæc ſunt ſua robora tantum.
Quàm iucunda tuam capient ſolatia mentem,
Si fuerit cordi piſcandi læta voluptas:
Duceris volucri ſpatioſa per æquora naui,
Cui ſit remigium pulchrum,fortíſque iuuentus,
Sint bene compacti claui,ſint tranſtra decorè
Iuncta,regat nauem celſa de puppe magiſter
Ventorum expertus,nauem,quæ iudice nullo
Culpari poſsit,ventis immota reſiſtat:
Lata gubernator findat viuaria puppi.
Hic,vbi tranquillis vulgo paſcuntur in vndis
Squamigeræ gentes,his pabula læta feruntur
A ſeruis,promptæ ſaturant hæc agmina prædæ:
Quæ nato atque tibi ô felix,ſunt certa beato

Gloria piſcandi:calamum demitte ſub vndam
Implicitum ſetis,hamo cito piſcis inhæret,
Sponte ducis trahitur manibus:fortiſsime princeps,
Ah quàm blanda tuam pertentant gaudia mentem,
Multa ſuperciliis,& toto in pectore regis
Lætitia eſt,piſcem calamis ſpectare ligatum,
Atque reluctantem,vel lubrica terga mouentem.
Nunc adſis Neptune mihi Saturnia proles,
Qui terras pontúmque tenes,adſis mare vaſtum,
Et vos multiſoni mihi peruia numina ponti
Ferte pedem,veſtras acies,& monſtra natantum
Cantabo,noſtrum carmen regina ſacrati
Calliopea chori nato magnóque parenti,
Sit gratum,atque tui ſpira mihi munera cantus.
Innumeræ pelago gentes voluuntur in imo
Nantes,quæ numerum vincunt,ſunt abdita nobis
Plurima monſtra maris,quis poſſet nomina verſu
Edere?quis ponti metas,quis nomina dicet?
Terdenas ad ſummum vlnas nouere ſub vndis
Mortales,ſed multa latent immenſa profundi
Æquora,ſub vaſto ſpirant tot gurgite piſces.
Sunt vires menti tenues mortalibus ægris:
Abdita non poſſunt humana voce referri.
Alma parens tellus non agmina plura ferarum,
Nec maiora tulit,quàm vaſtus in æquore pontus.
Norunt cœlicolæ numerum penſare natantum,
Terreſtréſque acies an partes æquet vtraſque
Calculus.humana quantum comprendere mente

Possumus, expediā numerum, victúmque, viásque.
Nonnulli flauam pisces in littore arenam
Mandunt, & terra quicquid nutritur in alta,
Hippi, coccyges celeres, flauíque erythini,
Et citharæ, triglæque, simul tenues melanuri,
Trachurónque greges, buglossæque & platyuri,
Tæniæ imbelles, & picto mormylus ore,
Scombri, cyprini, stabulantur littora iuxta.
Ast alij cœno turpi, fœdáque palude
Pascuntur, batidésque, boum genus vsque proteruū,
Difficilis trygon, torpedo nomine vero,
Et clariæ, psettæ, scepanique, & triglis, asellus,
Atque lacertorum gentes, quæ putrida pascunt,
Inter cœnosas voluentes corpora sordes.
Per molles tantum ripas herbásque virentes
Mænidésque, tragíque, simul atherina vagantur
Et smarides, blenni, cum scaris, boces vtrique,
Cestres, & cephali iustum genus Amphitrites,
Labrax, audaces amiæ, placidæque chremetes,
Pelamydes, cōgri, & quem dicunt nomine olisthon,
Æquora quæ fluuio, quæ sunt vicina palude
Incoluisse iuuat, qua dulcis terminus vndæ,
Et fluctus cœno commistus vortice multo
Voluitur à terra: pisces hîc pascua læta
Accipiunt, pingui distendunt membra sagina.
Ex ponto fluuij dirus petit ostia labrax:
Ex fluuio anguillæ repunt, pluuiáque lacuna
In vastum pontum, scopulos quos abluit vnda

Alga conspersos, & multo murice tectos
Salpæ habitant variis distinctæ tergora signis,
Iulides, percæ, channi, turdíque virentes,
Phucides, eunuchi vero de nomine dictæ.
Aspera saxa colunt imo defixa profundo
Et sciris atque syęna, mulus, necnō basiliscus:
His addas roseo splendentes corpore triglas,
Sunt vdæ cautes herbis à fronte virentes,
Hic domus est sargis, hæc statio læta scięnis,
Et faber, & nigro cui nomina dicta colore,
Hęc coracin⁹ habet, scarus quoq; hęc saxa frequētat,
Qui mites inter pisces clamore tremendo
Intonat, & solus pallentes ruminat herbas,
Ac veluti pecudes reuocat sub guttura pastum.
Ast imos scopulos, fundo quos ostrea multo
Cingit, queis thalami curui, queis lustra profunda
Opsophagi, scombri, pugnax muræna frequentat.
Addas oxyphagos istis atque agriophagros,
His iungas tardè morientem piscibus orphum:
In partes scisi luctantur corporis artus.
Multi alij pisces fundo versantur in imo,
Et caua saxa colunt, ouis, hepatus, iíque decentes,
Excelsi, fortes, magni, sed corpore pigro
Se mutant: nunquam tales sua lustra relinquunt.
Piscibus insidias tendunt, si forte sub antrum
Inciderint, subito pellunt in funera fato.
Hos inter pisces segnis numeratur asellus,
Qui canis æstiui motu concussus acerbo

Ingreditur duras cautes, atróque recessu
Occulitur, tali dum feruet sydere cœlum.
Est inter scopulos, ponti quos abluit vnda,
Piscis ab actæis quondam cantatus adonis.
Multi exocœton dicunt, quòd prosilit vndis
In littus, sicca ponens tellure cubile:
Et quibus à rictu se tendunt vndique branchæ,
E ponto in terram solus descendit adonis.
Squamea tunc dulci componit membra sopore,
Cum mare tranquillum: tumidis cum tollitur vndis,
E somno surgit, dormit porrectus in antro.
Formidat pelagi volucres, quas horret vt hostis:
Et siquam cœlo labentem viderit alto,
Saltanti similis quatitur, sic marmoris vnda
Concita demergit hunc in spelæa profundi.
Cautibus & bibula multi pascuntur arena,
Auratæ fuluæ splendoris nomine dictæ,
Et simi, & glauci & densato dente dracones,
Scorpius in pugna fortis, genus vnde gemellum,
Ambæ sphyrænæ longæ, tenuésque belonæ,
Gobius, & charax magna leuitate natantes,
Audaces mures non magno corpore fidunt,
Viribus haud magnis, sed dura pelle vigorem
Ostentant, firmi confidunt robore tergi:
Contra mortales pugnant, contra agmina ponti.
Innumeros addas istis, qui à littore longe
Veliferos habitant fluctus tellure relicta.
Sunt celeres thynni, qui pisces impete vasto

Pellunt,& gladij diro mucrone potentes.
Orcynon gentes & prenades atque cybiæ,
Obliquæ ſcytalæque,hippuron maxima turba,
Pompilus his habitat petris:hunc lætus honorat
Nauita,quòd ſocium nauis ſe pompilus obfert,
Nomen habet,gaudet celeres per marmora euntes
Aſſociare rates:curſum ventúmque ſequuntur.
Saltantes circum celſæ latera alta carinæ.
Nonnulli puppim,& curuæ moderamina nauis
Prendunt.aſt illi collecti examine multo
Pendent à prora,dicas non ſponte ſecutos,
Inuitóſque trahi,nec poſſe obſiſtere contra.
Tanto veliferæ nauis rapiuntur amore,
Et veluti regem,vel cinctum tempora ſerto
Victorem textis ramis & fronde virentem
Prouecti patres,& primo flore iuuentus
Stipant,& circum denſi lætíque feruntur,
Donec victorem ſub ſplendida tecta reducant.
Sic iſti ad terram nauem comitantur ouantes,
Connexi circùm denſi,ſed littora poſtquam
Aſpiciunt,odium terræ immortale recondunt:
Extemplo celeres veluti de carcere piſces,
Erumpunt,ſaltu nauem curſúmque relinquunt.
Dant certum nautis ſignũ, quòd terra propinqua eſt,
Fortia cum duros diſſoluunt agmina nodos.
Pompile te nautæ miro venerantur amore,
Per te diuinant tranquillas æquoris auras,
Pacatus venias ſternens freta lata profundi.

Eſt

Eſt etiam ſalſis vndis echeneïs amica,
Quæ latis membris, & nigro fuſca colore,
Non cubitum excedit totos porrecta per artus,
Aſpectu anguillæ ſimilis, ſub vertice ſummo
Stat rictus curuum circumdeductus in orbem,
Cui non diſsimilem forma mucrone coruſco
Eſſe hamum credas, ſic os portendit acutum.
Attoniti nautæ parui miracula piſcis
Spectarunt maiora fide. quis crederet vnquam
Mortalis, proprias ſi fama attingeret aures?
Ignaræ gentes rerum caligine merſæ
Indomitam ſeruant mentem ſub pectore duro.
Non verum admittunt, nec dictis iure quieſcant.
Expanſis velis compulſam flamine venti
Sulcantem fluctus, & cœrula vada profundi,
Apprenſam magno nauem non ſiſtit hiatu,
Viribus adnitens pendet de naue ſupinus:
Non fluctus ſcindit nauis, ſed firma tenetur:
Non aliter quàm ſi portu deuicta quieſcat:
Et ſtridunt ſpiris vela exagitata rudentum,
Concuſsi reboant funes, antemnáque nutat,
Et ſtrepitu properata fremit: de puppe magiſter
Compellit nauem, cunctáſque relaxat habenas:
Nec detenta ratis laxo temone mouetur,
Nec paret ventis, nec mota impellitur vnda:
Sed compulſa manet, curſum motúmque reuincta
Siſtit, & abiecti piſcis retinetur ab ore.
Non aliter radix terra defixa ſub alta eſt.

Nautæ formidant turbati vincula ponti,
Rem miram, & somno similem de puppe videntes.
Ac veluti in sylua ceruam de rupe fugacem
Spectat venator cautus, celerémque sagittam
Dirigit in pectus, quæ crure infixa moratur
Cursum: tunc multo plagæ confecta dolore
Cerua inuita manet, venantis vulnera diri
Offendens: nauem tali sub compede sistit
Consona miraclo sortitus nomina piscis.
Chalcides & thrissæ passim abramidésque feruntur,
Atque cateruatim percurrunt æquoris vndas,
Et curuis habitant scopulis, & littora visunt,
Alternántque vias ponti, currúntque per æquor,
Hospitium mutant semper, pontóque vagantur.
Anthieon petris sunt pascua grata profundis:
Non illis semper gaudent, vulgóque trahuntur
Quò gula, quò ventris iubet insatiata libido.
Ante alios istos compellunt œstra palati,
Et non dentato sunt pascua læta sub ore.
Quattuor anthieon species versantur in vndis.
Sunt flauæ, & niueæ, sunt atro sanguine fuscæ,
Euopos atque aulopos hos nomine dicunt,
Nanque supercilium circùm referatur in orbem.
At duo muniti duro thorace natantes
Carabus insidias faciens atque astacus acer,
In saxis habitant curuis, & pascua carpunt.
Astacus immensum thalami sub pectore amorem
Condit sponte sua, nunquam de limine cedit.

Inuitum siquis piscem traducat in altum,
In propriam subito gestit remeare cauernam,
Et cupit, & quærit illo saltare profundo,
Ex quo piscator cymba linóque fugauit:
Non alios ponti, non vult habitare recessus,
Non aliam quærit patriam, sed sæpe penates
Dimissos repetit, consuetáque saxa reuisit.
Sic dulcem patriam gentes cupiere natantum,
Et pontum, & natale solum, quod stillat amorem
Illis, & pectus spargit dulcedine blanda.
Mortali generi patria quid dulcius extat?
Quid grauius misero, si longis finibus errans
Sit procul à patria vitam tolerare coactus?
Exilium durúmque iugum perferre necesse est
Externas inter gentes ignotáque rura.
Errones cancri populis numerantur in istis,
Squillarum gentes, & turba immensa paguron.
Ast alij pisces omnes, quos ostrea claudit,
Et terra & liquidis semper spatiantur in vndis,
Ostracon emittunt, aliud sed corpore summo
Germinat, & tegmen renouatur carne recenti.
Cum vires norunt se disrumpentis amictus,
Affectant epulas, & pascua læta requirunt,
Vt saturo faciles disrumpant corpore crustas.
Labitur è toto cum ruptum corpore tegmen,
Hi primum in fulua nunquam lætantur arena,
Nec pastum capiunt, nec quicquam mēte reuoluūt,
Expectant mortem, vitales ore calores

Non ſpirant,tenui formidant omnia pelle,
Quæ nuper creuit tenero ſub tegmine.piſces
Nequicquam audentes ſicca paſcuntur arena,
Sunt timidi,donec firmentur tegmina membris.
Ac veluti medicus languentem corpore curat,
Atque vetat primis epulas guſtare diebus,
Attenuans calidas morboſo in corpore vires,
Paulatim præbens epulas,quæ languida membra
Inſtaurant,donec tanto ſint membra dolore
Purgata,& vires reſtent in corpore firmæ:
Sic cruſtis nuper natis ſua membra paguri
Curant,letiferum cupientes pellere fatum.
Piſces æquoreis alij voluuntur in vndis
Polypodes multis ſparſi per membra flagellis,
Scordylus & ſcolopédra,malum quę ſpirat odorem,
Piſcanti infeſtum,curuos cum porrigit hamos.
Oſmylus & reliqui terra pontoque mouentur.
Agricola incuruus,cui ſunt plantaria curę,
Oſmylon ad teneros ſerpentem littore ramos
Vidit,pomiferis reptantem polypon aruis,
Implicitum ramis oleę,fructúſque vorantem.
Hos inter piſces ſimilíque cupidine fertur
Sepia.ſunt alij,durum quos oſtracon armat,
Hi ſcopulis curuis,iſti paſcuntur arena.
Neritę & ſtrombi gentes & purpura rubra,
Ceryces,mures,& vero nomine ſolen,
Oſtrea rore virens,telis armatus echinus.
Hos ſi quis paulum ſciſſos demittat in vndas,

Nempe reuiuiſcunt, vaſtóque ſub æquore ludunt.
Carcinades nudæ naſcuntur, tegmine nullo,
Atque ſibi fabricant tegetem, dorſóque coaptant,
Et non legitimum ſubeunt teſtudine tectum
Imbelles fragiles tenui per membra vigore.
Cum tegetes videant vacuas, quibus incola morte
Functus, deſerto domino dimiſerit antrum.
Has ſubeunt tegetes, alieno in corticè degunt.
Hoc tecto ſerpunt lato ſeptóque teguntur.
Neritæ ſi quæ ſpolium vel lurida ceiyx,
Vel ſtrombus durus linquat, ſunt tegmine lætæ:
Præcipue ſtrombi gaudent ſub tergore lato.
Eſt amplum illius tectum, ſed pondere paruo
Cum latis creſcunt membris, implèntque receſſus
Carcinades tegetis, tunc paruula tecta relinquunt,
Maiorémque domum maiora palatia quærunt.
Sæpe etiam circa ſpolium certamine multo
Contendunt, ſubito duro ſub marte repulſa
Inferior, victrix lato ſe condit in antro.
Eſt quidam curuo tectus ſub cortice piſcis
Polypodi ſimilis, quem dicunt nomine vero
Nautilon: inſignem ponto ſua gloria fecit,
Per freta dum cautus ſub nauis imagine ludit.
In ſabulo domus eſt, ſumma defertur in vnda,
Pronus neu pontum capiat, plenúſque grauetur,
Cum nando vehitur per fluctus Amphitrites,
Extemplo verſus tumidam per marmoris vndam
Labitur, vt nandi doctus puppíſque peritus.

Atque pedes geminos tendit de more rudentum,
Quos inter medios tenues membrana tumescit.
Extenta atque pedes contingunt æquora subter
Temoni aßimiles nauem, piscémque, domúmque
Deducunt, si forte malum supereminet vllum,
Absorbet fluctus intro, lymphísque grauatus,
A tumidis trahitur cum pondere fluctibus vndæ.
Seu mortalis erat, seu missum numen ab alto,
Audax ille fuit, qui primum marmora findens,
Piscis opus cernens humanos traxit in vsus:
Construxit naues, extendens carbasa ventis,
Explicuit funes faciles moderatus habenas.
Miraclum ponti narrant ingentia cete
Viribus inuictis, & vasta mole mouentur
Pondere cum magno, timor est mihi sæpe videre.
Armantur rabie, rabiem fera pectora anhelant,
In littus pauca exiliunt, quæ corpore vasto
Sunt, hæc veliferis semper voluuntur in vndis,
Magno horrore leo, post hos horrenda zygęna.
Pantheræ variæ maculis, & physsalus ardens,
Atque melanthynon gentes, & dente timenda
Pristis, letiferum lamnæ fœdúmque boatum,
Mollitiæ nomen malthe quæ ferre videtur,
Cornu aries pugnax, & sacrum pondus hyęnæ.
Atque pudenda canum gens & furibūda propago,
Diuisa in gentes ternas: hæc horrida visu,
Cum cetis numerata furit per marmoris vndam.
Quæ restant aliæ cœno merguntur in alto.

Pugnaces inter piſces centrina vocatur:
Altera,quod ſtimulis credatur noxia nigris,
Tertia dicetur galeorum nomine turba.
Aſt galeis alias gentes numeramus,acanthas,
Leos,& catulos,ſquatinas adiungimus iſtis
Acres & varias,cœno merguntur in alto,
Hi pariter cuncti,paſtu capiuntur eodem.
Delphines ludunt circum reſonantia ponti
Littora,ſed nunquam diſcedunt marmore vaſto.
Hos Neptunus amat.nam cum Nereida pulchram
Quæreret,& caſtæ peteret connubia nymphæ,
Oceani thalamis delphin ſacer Amphitriten
Spernentem fertur tedas docuiſſe latentem.
At deus arripuit charam,domuítque puellam,
Rêginam ponti fecit,thalamóque iugauit.
Hinc eſt delphinas tanto dignatus honore:
Ex illo propria delegit ſorte miniſtros.
Sunt diri ex pelago quicunque ad littora piſces
Repunt,frugiferos luſtrantes longius agros.
Curuáque lunatæ teſtudo in imagine peltæ,
Et ſicca anguillæ multum tellure morantur:
Caſtorides querulam fundunt in littore vocem
Cum ſonitu mœſto,quæ ſi percuſſerit aures
Vox lachrymanda viris letalis nuncia fati.
Mortiferæ auditor vocis,non funera longe
Expectat,mortem triſti clamore futuram
Prædicit nobis miſeris ſæuiſsima peſtis.
Phalænam fœdam dicas,quæ è marmore lato

Desilit in terram solem passura calentem.
Extra vndas phocæ consumunt tempora noctis:
Sæpe die fessos artus in littore ponunt,
In terra dulci soluentes membra sopore.
Iuppiter altitonans in te sunt omnia solo,
Ex te firma manent, seu celsa palatia cœli,
Siue locum quencunque tenes: non voce referri
Humana posset, quanto sub pacis amore
Per te dispositus clarus seiungitur æther,
Aëris & vacuum, & terræ circunfluus humor,
Et tellus rerum mater. nam singula primo
Sunt distincta locis, & certo fœdere iuncta,
Et nodi inuicti concordi pace ligata,
Et fatis immota suis coniuncta trahuntur.
Aëris admittit partem tenuissimus æther,
Immensus tumidis non est sine fluctibus aër,
Non lymphæ terra vacuæ, sic mista creantur,
Sic elementa vices seruant hoc iuncta tenore,
Alternántque vias generi seruire parata
Externo, & pelagi gentes, & monstra natantum
In campis ludunt, volucres ex aëre magno
In pontum veniunt, liquidis merguntur in vndis
Alcyonum mœstæ volucres, aquilæq́ue marinæ,
Et mergi, & reliquæ cupientes æquore prædam
Merguntur lymphis, & findunt aëra magnum,
Lolligo miluúsque rapax, & mitis hirundo,
Cum timeant magnum venientē è marmore piscē,
Ex mare prosiliunt scindentes aëra branchis.

Non

Non volucrum species,non est lolligo natantum,
Turmatim fertur ponto,gestítque volare.
Inferius multo se tollit mitis hirundo.
At radunt summam milui lati æquoris vndam:
Hos nanti similes dices,similésque volanti.
Piscibus hi cœtus,hæ sunt in piscibus vrbes.
Inter squamigeros populos,errantia ponti
Agmina,nonnulli collecti examine multo
Armento,& castris similes,pars ista videtur
Æqualis turmis,istos cognoscere posses
Insidiis decadíque pares:hic impete solus
Ducitur,ast illi labuntur per freta bini:
Quidam se thalamis condunt,scopulísque recurui
Ante alias ponti gentes agitata rumescunt,
Æquora turbatos subter voluentia fluctus,
Exhorrent nigram magno stridore procellam,
Formidant gelidam brumam, fluctúmque furẽtem
Accumulant circùm terram,sabulóque teguntur.
Multi se scopulis condunt,multíque profundo
Se claudunt pelago,non vastum fluctuat æquor
Fundo,non venti surgunt densæque procellæ,
Quæ tumidos frangant fluctus. nam saxa profunda
Terribiles arcent ventos,& marmoris æstum.
Florida cum rident depicti tempora veris,
Et mare pacatum tranquilla labitur vnda,
Tunc paßim saliunt pisces propè littora læti.
Vrbs veluti dilecta deis,opibúsque superba
Letiferas belli nubes obsessa refugit,

Quæ fuerat longa belli sub mole grauata,
Et tandem longa belli obsidione soluta
Continuo à duri martis sudore refecta,
Et studio pacis gaudens, conuiuia læta
Disponit, tota celebrantur in vrbe choreæ:
Sic pisces læti duros posuere labores,
Horrida veliferi fugientes littora ponti,
Saltanti similes ludunt in fluctibus alti.
Vere nouo duro veneris vexantur asilo
Pisces, qui terra repunt, quíque aëra magnum
Findunt, atque salo longe spatiantur aperto.
Vere laborantes sedat Lucina natantum
Partus, cum fœtus tumido de ventre resoluunt:
Hi generis curam capiunt, sed fœmina partus
Et tenuem ventrem fulua contundit arena,
Anxia non paruo sciungens oua labore.
Sunt connexa simul, tumido sunt ventre ligata
Mistim: quo pacto coniuncta hæc edere posset,
Et simul innatum posset dissoluere nodum?
Tormento pressæ secernunt littore fœtus.
Difficilem partum concedunt fata marinis
Piscibus, haud solum tantum Lucina dolorem
Mortali præbet generi, nec fœmina tantum
Lucinæ durum sola est passura laborem:
Hoc pasśim commune malum Lucina parauit
Illis, qui terra sicca pontóque feruntur.
Nanque mares alij pascentes littora iuxta
Dum veniunt, clades adducunt piscibus atras:

Fœmineis alij turbis per littora pulsi
Præcurrunt,illæ veneris cruciantur asilo,
Atque mares vrgent cursu,reptántque prementes.
Hi serpunt,ventrémque fricant,& spermata mittunt:
Illæ actæ stimulis rapiunt,atque ore rapaci
Absorbent,tanto veneris rapiuntur amore:
Spermate sic implent ventrẽ,sobolémq; propagant.
Hic mos est multis:alij connubia,lectos,
Vxorem,thalamum curuum,thedámque iugalem
Coniuncti accipiunt:vexat Cytherea natantes,
Et furor,& zelus,durus deus,atque Cupido
Feruens,qui calidos accendit corde furores.
Horrida pro charo faciunt certamina lecto
Sæpe proci:tales magno conamine pugnant,
Collecti circa nympham discrimine multo
Diuitiis,splendore pares:non piscibus ista
Adsunt,sed vires,& vallum dentibus arctum.
His armis thedas quærunt,hoc robore fidunt.
Sic feret optatas illis victoria thedas.
Vxores sargi multas,& merulus ardens
Ducunt:ast alij contenti coniuge sola,
Cantharus,ætnæus,spernentes agmina lecti.
Non similem thedæ finem testudo recurua,
Polypus,atque anguilla manet,murænáque nigra.
Anguillæ spiris,multóque volumine nexæ
Concumbunt,lentor distillat corpore toto,
Qui spumæ similis bibula celatur arena.
Accipit hunc cœnum(quid enim fœcundius illo?)

Concipit accepto, nascuntur lubrica turba,
Flexibus innumeris anguillæ in littore repunt.
Sic coëunt congri, sic lubrica membra resoluunt.
Odit concubitus testudo, inimica refugit
Thedas: non illam veneris compellit oëstrum,
Non gaudet lecto, veluti gens humida ponti.
Nam coitu quantos patitur testudo dolores.
Ossea vena mari multo distenta furore
Arrigit in veneris vsum, quam flectere nunquam
Est potis, hanc acuit. despecti in gaudia lecti
Inflexis pugnant rostris, & prælia miscent,
Inque vicem morsus figunt, & cominus ore
Congressi certant geritur lachrymabile bellum.
Hæc tristes vitat thedas, hunc pellit oëstrum,
Et rapit inuitam pugnando robore multo,
Donec deuictam cupido sibi iungat amore.
Ac veluti longi cupientes præmia belli
Pugnant, & pulchram rapiunt in marte puellam:
Sic coëunt tellure canes, sic æquore phocæ.
Nanque diu duro remanent in vincula nodo.
Ambos arcta venus iunctos post terga reuincit.
Exitium, & tristes thedas commiscet in vnum
Polypus, & miseram vitam cum spermate fundit.
Non coitu cessat, donec deliquerit artus
Robur, & absumptæ fuerint in corpore vires,
Atque ipse in fulua iaceat prostratus arena.
Seminecem sicca lacerant tellure iacentem
Carcenades miseræ, & cancri, multíque natantes,

Quos omnes cupide primo ferus ille vorabat.
Tunc viuum imbellem minime ſua mẽbra tuentem
Diſcerpunt, donec moriatur funere diro.
Sic perit in coitu piſcis, ſic lumina claudit.
At ratione pari torquetur fœmina partu,
Extremúmque diem claudit, fœtúmque reſoluit:
Non oua, vt piſces alij, ſemota recluſo
Ventre edit: magno partus cruciata dolore,
Iuncta racematim gignit, quæ vulſa meatus
Fortè per anguſtos veniũt, perimúntque parentem,
Non annum excedunt, thedis moriuntur in ipſis,
Cum triſti veniunt crudelia funera partu.

Quæ muræna facit, non fama obſcura feruntur.
Serpenti nubit, promptéque ex æquore ſaltat
In littus, petit à cupido cupidos hymenæos.
Ardet amans ſerpens, & multo exæſtuat igne.
Concitus in rabiem furibundus quærit amores,
Et curuum ſubito ſaxum ſpeculatur, & omne
Letiferum ponit virus, quod geſtat in atris
Dentibus, & bilem ſaxo deponit amaram,
Vt tædas capiat tranquillo pectore mites.
Littore conſiſtens horrendum ſibilat ore,
Concubitúſque petit: ſubito muræna profundo
Excita voce furens, ruit ocyor illa ſagitta:
Ex terra ſerpens ponti deſcendit in æſtum:
In venerem prompti gaudent complexibus ambo,
Serpentis caput ore tenens ſtat ſponſa proterui.
Sic ambo thedis læti, muræna profundum

Desilit in pelagus, serpens per littora reptans,
Omissum repetit virus, quod dentibus atris
Fuderat. at bilem nigram si forte viator
Iecerit in pontum, iactat per littora corpus,
Et non sperata clauduntur lumina morte.
Priuatus serpens armis, quibus ipse putabat
Se fortem, & tanto serpentis nomine dignum,
Et vitam, & tetrum perdit propè saxa venenum.
In faciem versi dulces celebrant hymenæos
Delphines, similes hominis complexibus hærent:
Humano tentus se tollit more priapus,
Atque palàm semper non est, latet inguine tectus
Exertus muto, veneris nudatur in vsus.
Sic coëunt pisces, sic sunt connubia curæ
Admissura tori non illis tempore certo.
Nam gignunt fœtus multi sub tempore brumę,
Isti vere nouo pariunt: hi sole calente,
Hi verò autumno, cum iam perfecerit orbem.
Hic solum partum, totus dum voluitur annus:
At bis Lucinam labrax toto inuocat anno:
Quatuor at partus horrendus scorpius edit:
Accipiunt triglæ terno cognomina partu:
In pelago fœtus quinos edit cyprinus.
Nunquam fœcundi deprensus partus aselli.
Læta vere nouo ponto fœtura natantum,
Hi proprias habitant sedes, lustrísque quieti
Degunt, hi veniunt collecti examine multo,
Euxinos penetrant fluctus, vbi maxima turba

Dilectos edunt fœtus:longe ſinus ille
Dulcior eſt aliis pelagi.nam flumina multa
Euxinum irrumpunt pontum,ſunt paſcua læta,
Sunt curui ſcopuli pelago,portúſque reducti:
Sunt duræ cautes ponto,multíque receſſus,
Vmbroſæ celſis ſurgunt à montibus vmbræ,
Littora tuta manent vento,ſæuáque procella:
Noxia non pontò monſtra educantur in iſto,
Et parui piſces non quicquam hoſtile timentes
Securi viuunt vndis:procul aſtacus ingens,
Polypedes deſunt magni,deſúntque paguri:
Adſunt delphines pauci,qui corpore vaſto
Contempti imbelles hæc paſcua læta frequentant:
Hinc eſt, quod quærunt hæc æquora grata natantes.
Diſperſi pelago toto coguntur in vnum,
Atque cateruatim collecti examine multo
Huc omnes properant,pontum ducuntur in iſtum
Threicias ponti fauces,qua Boſphorus amplum
Ducit in Euxinum ſulcantes agmine denſo,
Bebriacos fluctus,& ponti anguſta natando
Ora ſecant ſtrepitu multo,tranántque meatus:
Et velut Æthiopum veniunt,Niliſque fluentis
Turmatim Palamedis aues,celſæque per altum
Aëra labentes fugiunt Atlanta niuoſum,
Pygmæos imbelle genus paruúmque fatigant:
Non perturbato procedunt ordine denſæ
Inſtructis volucres obſcurant aëra turmis:
Sic pelagi innumeri populi longo ordine findunt

Euxinum pontum,turbantur in æquore fluctus,
Spumant vibratis canentia marmora branchis,
Absoluant donec cursum,fœtúmque natantes.
Perfecto autumno pisces sub mente regressum
Voluunt.nam bruma ventis agitata tumescunt
Æquora,multisoni consurgunt marmoris æstus,
Atque sinus ponti se tollunt vertice multo.
Non alti fluctus extant,non saxa profunda,
Spirantes crebra furiunt vertigine venti.
Hinc est,quod fugiunt pisces Mæotide fusa,
Et retro flexi pelagi per terga feruntur.
Sparsi per fluctus,ad pabula prisca meantes.
At molles pisces,qui feruent sanguine nullo,
Qui non ossa tenent,& qui sua tergora crustis
Armant,& squamis,hi fœtibus oua resoluunt.
At canis,atque aquilę atque ea quę selachia vocãtur,
Et delphin ponti princeps,vitulíque marini,
Hi pariunt fœtus,fœtus æquare parenti
Posses,optatæ cernunt cum tempora lucis.
Qui fœtus edunt miro sectantur amore
Natos,& læti stant circum pignora chara.
Non ego delphinis solertius esse creatum
Quicquam crediderim.liceat si vera referre,
Hi fuerant homines,atque oppida celsa colebant
Inter mortales:diuino numine Bacchi
Delphini in formam versi saliere per æquor.
Nunc etiam humanam seruant sub pectore mẽtem:
Ingenio celeres factis humana sequuntur

Consilia

Consilia, in lucem veniunt cum pignora chara,
Atque parens dulces partu est enixa gemellos,
Extemplo fœtus subeunt genitricis in ora
Nantes, & saliunt læti, noscúntque parentem.
Circundat charos partus, est læta gemellis
Officiosa parens, natis plena vbera præbet,
Et præbet geminis natis gemina vbera mater,
Sugere lac gratum, postquam deus vbera bina,
Et lac dulce dedit: tales fecisse putamus
Humanas mammas, talem tribuisse liquorem.
Educat catulos paruos blandissima mater.
Fortia cum crescunt iuuenili membra vigore,
Venandi studio exercet, ducítque per æquor:
Antea non matrem linquunt quàm fortia membra
Adsint, & firmæ robusto in corpore vires,
Sed matris semper seruant vestigia longe.
Arripiet lætam mentem miranda voluptas,
Si mare tranquillum cernas, aurámque secundam,
Delphinûm aspicies turmas decus æquoris ingens:
Præcedunt nati, veluti iuuenile choreas
Agmen agunt, variis flectentes brachia gyris.
Longæui veniunt subito post terga parentes,
Obseruant teneros carpentes pascua natos:
Non sic vere nouo pastor teneros agit agnos.
Grammaticæ veluti ludo cirrata iuuentus
Collecti veniunt, rigidi sunt ponè magistri,
Censores morum, seruatorésque pudoris,
Atque ætate graues: semper veneranda senectus

Reddit honoratos homines, virtute decoros:
Sic dulcis nati seruant vestigia patres,
Ne teneri diro fœtu rapiantur ab hoste.
Et curam sobolis phocæ non forte minorem
Suscipiunt, illis mammæ, lactísque liquores
Adsunt, cœruleo non edunt pignora ponto:
Sed fœtus sicca genitrix tellure resoluit.
Soles bis senos in flaua mater arena
Degit cum natis charis, & pignora mulcet.
Tertia post decimam roseo caput obsita peplo
Consurgens aurora polo, lucèmque reducit:
Tunc mater madidis catulos complexa sub vlnis
Detinet, & liquidas subito se mergit in vndas,
Et natis iucunda suis monstrare videtur
In ponto patriam charam, dulcésque penates.
Et veluti mater peregrina enixa decorum
In terra natum, tensis complectitur vlnis,
Lætitiã immensam effundit, patriámq; domúmque
Ostendit puero: quamuis non singula norit,
Attentus spectat miranda palatia natus,
Perlustrans oculis tectum, moréſque parentum:
Sic proprios catulos deportat phoca sub æquor,
Atque situs pelagi monstrat, lymphæque meatus.
O superi nobis non solùm pignora chara
Sunt dilecta magis vita, genus omne ferarum,
Et pictæ volucres, & monstra horrenda natantum
Immenso paruos fœtus sectantur amore,
Dulcis natorum cunctis innata cupido,

Ærumnas perferre volunt, duróſque labores,
Pro natis etiam non funera dira recuſant.
Olim venator vidit de vertice montis
Horrida pro catulis miſcentem bella leonem:
Spicula contemnit frendens, miſsóſque molares,
Inuictas ſeruat vires, & pectora firma,
Confoſſus multis telis, & vulnere multo:
Propoſuit clara pugnando occumbere morte,
Quàm dare terga fugæ, vel turpi cedere pugnæ.
Seminecem proprij non tangit cura doloris,
Infelix dira non tantum morte mouetur,
Quantum ne catulos rapiat venator ab antro.
Forte cubile canis ſpectauit paſtor amicus,
Atque canem tetigit notam, metuítque furentem:
Multa timens natis latratu guttura mater
Pandit, non aliquem noſcit furibunda pudorem.
Mater terribilis cunctis, qui fœtibus hærent,
Arrepta vitula genitrix triſtatur, & atros
Ingeminat luctus, paſsim furiata per agros,
Fœmineos fundit fletus clamore tremendo.
Paſtor perculſus ſentit ſub corde dolorem,
Et matutinos luctus peruenit ad aures
Humanas, mœſto quem fundit pectore Progne
Pro charo fœtu: quanto Philomela dolore
Emittit mœſtas tenui de gutture voces.
In quales luctus mitis prorumpit hirundo,
Si nido abſtulerint homines, ſæuíque dracones
Filiolos dulces, & pignora chara parenti.

Pro catulis forti pugnat certamine delphin.
Sic alij teneros fœtus, sobolémque tuentur:
Et canis æquoreus fœtus, mirabile dictu,
Custodit, catuli teneri post terga sequuntur:
Fœtibus est scutum genitrix, illósque tuetur.
Sed cum formidant, (pelago sunt multa timenda)
Accipit in ventrem natos, iterúmque recurrunt,
Vnde prius lapsi fuerant, & ventre teguntur.
Et quamuis partus fuerit cruciata dolore,
Vt mater læto perpessa est omnia vultu,
Atque iterum charos fœtus in viscera condit,
Atque parit rursus, cum respirare timore
Cœperit, & tutas speculetur marmoris vndas.
Obseruant squatinæ natos, nec ventre recondunt,
Vt canibus mos est, sed pandunt subter hiatus
In madidis alis, quantos aperire natantes
Ore solent rictus, sic fœtus alta vorago
Sorbet, & in tanta natos formidine seruat.
Ast alij pisces metuentia pignora pestem
Ore tenent, veluti lustris aut tecta cubili.
Vt pisces inter glaucus, sic præstat amore
In natos illis, qui fœtibus oua resoluunt.
Oua fouet, donec maturo tempore fœtus
Exiliant, iuxtáque natat, prolémque timentem
Ore tegit, tantum quod cedit pectore paruo
Formido, & rursus natos mater spuit ore.
Ast diro thynno non est sceleratior alter,
Et nullus piscis tanta impietate notandus.

Nanque soluta parens partu, priuata dolore
Offendit quicquid rapidam demergit in aluum,
Non paruis parcit natis sæuissima mater.
Qui nec concumbunt, nec fœtus nixibus edunt,
Per se nascuntur fœdo velut ostrea cœno:
Est non distincto semper leuis ostrea sexu.
Hos inter pisces nec mas, nec fœmina nota.
Aphritides imbelle genus non sanguine natæ,
Paruula sub nullo turba est generata parente,
Cum fortes imbres densis ex nubibus haurit
Mens Iouis, extemplo miscetur murmure pontus,
Tolluntur fluctus celeri vertigine misti,
Qui canas faciunt spumas, atque vnda tumescit:
Ex non præuisis collecta hæc agmina thedis
Emergunt pelago, subito nutrita videntur,
Spuma nascuntur, de spuma nomina sumunt.
Nascuntur multæ, tumido cum fluctuat æstu
Vnda refusa maris, commota flamine venti
Feruet, & arentem cum cœno eructat arenam.
Hæc vna congesta loco miscetur, & vno
Congeritur tumulo, cum strata æqualiter vnda,
Latáque tranquillo labuntur marmora cursu,
Multiplici commista luto contecta calore
Materies corrupta creat, nascuntur eadem
Vermibus assimiles, qui surgunt agmine denso
Non magis imbelles gignunt lata æquora pisces,
Qui sunt cunctorum gratissima præda natantum,
Inque vicem lingua canentia corpora lambunt.

Hoc tantum viuunt,hinc illis eſt cibus vſque
Turmatim denſæ percurrunt æquora turmæ,
Et curuam quærũt petram,ſcopulúmque profundũ,
In tanto pelagi cœtu tota albicat vnda.
Et veluti nix alta cadit,quæ ſparſa patentes
Planities operit,Zephyrus cum ſpirat eous:
Non oculis late tellus ſubfuſca videtur,
Sub niue tecta latens apparet candida viſu:
Area Neptuni ſic canet ſub grege denſo.

OPPIANI DE PISCIBVS LIB. II.

SIC errant ponti gentes per paſcuã læta,
Sic proles populis, ſic ſunt connubia curæ.
Quis diuûm miſeris mortalibus iſta recluſit?
Quid norunt homines, niſi quãtum lumina poſſunt
Tendere?ſed regnant ſuperi,qui cuncta gubernant:
Et propè ſunt quamuis longe cœleſtia templa,
Viribus & nullo mutari robore poſſunt
Fata deûm,ſi quis tentet contendere contrà,
Nititur inuictam fruſtra depellere ſortem:
Et velut aſper equus luctans fremit ore ſuperbo,
Fortiáque à duris non liberat ora lupatis:
Magni cœlicolæ molles moderantur habenas,

Et ducunt quacunque velint, inuitus agetur
Et ſcutica & ſtimulis prudens compulſus acutis.
Nam ſuperi varias artes, & munera mentis
Mortali tribuunt generi, dant omnia diui:
Diuerſis præſunt diuerſáque numina rebus,
Vt quiſque optatum meritis ſortitur honorem.
Legiferæ donum Cereris coniungere tauros,
Atque in triticeam terram proſcindere meſſem.
Ædificare domos, & celſas condere naues,
Et niuea pulchras lana contexere veſtes
Edocuit Pallas. fortis ſunt munera Martis
Thoraces, galeæ, gladij, ſunt tela coruſca,
Cætera quæ ad belli ſtudium conuertit Enyo.
Dant muſæ & Phœbus diuini munera cantus:
Eloquium genitus Maia nitidámque palæſtram,
Lemnia progenies tulit ad fabrilia laudem.
Piſcandi finem vaſti molimina ponti
Quis ſuperûm ſpectare dedit? quis concaua terræ
Cinxit fluminibus multis? & circuit æquor,
Littoribus curuis? & ſepſit montibus altis?
Siue hunc Neptunum liceat mihi dicere, ſiue
Nerea iam canum, & meliorem dicere Phorcum,
Siue alium quemuis ſuperûm freta magna regent
Aſt alij quicunque dei cœleſtia templa,
Et pontum, terráſque tenent, atque aëra magnum,
Numina tranquillo præberent mitia vultu
Induperatori, nato, populo, atque camœnis.
Non pudor & iuſtũ norunt genus omne natantũ

Fœdus amicitiæ, longe ſed bella capeſſunt,
Hoſtiléſque gerunt animos: fortiſsimus horum
Imbelles laniat piſces, & mergit in aluum.
Hunc armant dentes, eſt qui gerit ore venenum,
Atque alius ſpina fera vulnera figit acuta:
Quidam feruentis iræ mucrone teguntur:
Cui deſunt vires, cui deſunt ſpicula, magnum
Ingenium natura dedit, ſe fraude tuetur,
Atque dolis magnum piſcem fortémque trucidat.
Turpe veneficium tenero ſub corpore ſentit
Natura torpedo datum propriũ quoque membris.
Hæc grauis & mollis, ſunt nullæ in corpore pigro
Vires, & nimium premitur grauitate: natantem
Non credas, liquidis ita clàm ſubrepit in vndis.
At duo ſe tollunt diſtenta per ilia rami,
Qui fraudem pro robore habent, piſcémque tuētur:
Quos ſi quis tractat, perdit per membra vigorem
Sanguine concreto, rigidos nec commouet artus:
Voluuntur ſubito contracto in corpore vires.
Dona deũ, & proprios membris cognoſcit honores.
Porrecta in flaua diſtendit corpus arena
Immota exanimi ſimilis, cui piſcis inhæret
Oppreſſus torpore graui, ſomnóque ſolutus.
Hæc celeri properat quamuis tardiſsima greſſu,
Semineces lacerat piſces, & ſæpe natantes
Offendit tactu, vires curſúmque moratur.
Perculſi torpore graui, victíque rigore,
Atque fugę immemores ſunt, immemoréſque viatũ.
Hæc

Hæc manet auxilio caſſos opibúſque trucidat:
Et velut obſcuris terrent ſimulachra figuris
In ſomnis homines, quatiuntur membra pauore,
Cor ſalit, & fruſtra tentant contendere curſu,
Et fruſtra properare fugam. nam vincula dura
Impediunt viſu pauidos, ſomnóque grauatos.
Tales torpedo meditatur piſcibus artes.
Eſt turpis viſu, mollisſima corpore rana,
Os aperit latum, cui ſunt alimenta doloſis
Artibus. in cœno putri deiecta recumbit,
Occulitúrque luto, ſed parua caruncula ranæ
Albicat ex roſtro, tetrum quæ ſpirat odorem:
Rana latet, cœno pars hæc ſupereminet atro.
Eſcam piſciculi credunt, prædámque capeſſunt:
Illa trahit placido motu, piſcéſque ſequuntur
Non veriti occultam fraudem, labuntur in ora
Fallacis ranæ, & pigra merguntur in aluo.
Sic puer inſidias auibus molitur opertas
Ante fores grana aſpergens, & limine in ipſo
Intendit caſſes: at illos ſæua cupido
Paſcendi in laqueos pellit, datur vnde regreſſus
Nullus, & in cœnam properata morte trahuntur:
Exitij ignaros piſces ſic rana maligna
Decipit, imbelles magno deglutit hiatu.
Sic tales memorant fraudes intendere vulpem,
Agmina cum volucrum ſpectauit in aëre denſa.
In ſylua proſtrata iacet, porrectáque membra
Ponit humi, claudens oculos vafra comprimit ora:

Oppreſſam ſomno credas, vel morte peremptam:
Callida ſic fraudes aſtuto in pectore verſat.
Cum variam tenſo proſpectant corpore vulpem,
Defunctam credunt volucres, atque agmine currũt,
Proculcant pedibus villos, ludúntque iacentem:
At miſeræ volucres, vulpis cum dentibus hærent,
Illa dolos, fraudes, commentáque facta recludit,
Diſtractáſque rapit volucres, & guttura pandit.
Callida furtiuam meditatur ſepia prædam.
Nam tenues molli ſurgunt de vertice rami
Extenti tanquam funes, quibus ipſa natantes
Piſciculos iactis veluti capiuntur ab hamis:
Pendens à fulua cautè deprendit arena:
Si tumidi magno tollantur in æquore fluctus,
Hærebit ſcopulis, propriis deuincta flagellis,
Natiuos dura connectet caute rudentes.
Sunt ſquillæ exiguæ, ſunt paruo in corpore vires,
Et magnum & ſaturum præclarum labraca ventre
Interimunt aſtu: properat, geſtítque teneri
Labrax piſciculis, qui paruo robore poſſunt
Non dare terga fugæ, non æquo occurrere marte.
Occiſæ occidunt hoſtem, perimúntque necantem,
Cum ſquillæ rictu piſcis ſorbentur aperto,
Turmatim in medium deſcendit turma palatum.
Et feriunt cornu, quod fronte inſurgit acuto.
Explet ſe præda labrax, nec vulnera curat:
Vulnera paulatim ſerpunt, domitámque voracem
Et ſola tanti ceſſant in morte dolores.

Se tandem sensit victi mucrone perire.
Incola bos cœni, qui vasta mole mouetur
Corporis, & latos sese diffundit in armos,
Bis senis magnos cubitis porrectus in artus,
Tam vastum corpus (quis credat?) roboris expers,
Occulit imbelles dentes, non viribus vllis
Confidit, sed fraude viros in funera pellit.
Sæuit, & humano bos dirus sanguine gaudet.
Hinc grati pastus, hinc mollia membra palato
Grata suo, & sæuo nimium iucunda sapore.
Cúmque per extremum speculatur nare profundum
Mortalem quenquam, liquidis qui ludat in vndis,
In caput elatus multa leuitate per æquor
Enatat, extensus circum, immotúsque videri
Possit, vt æquatum librato pondere tectum:
Atque homini veluti tegmentum corpore præstat:
Vt muri exitium pueri meditantur, & illum
In laqueos venter subigit, nec cernere fraudem
Permittit. nam vasa supra collapsa repente
Dant strepitũ, murémq; premunt: contendere cõtra
Non valet, & tantam capiti propellere molem.
At puer illudit prædæ, ridétque reuinctum,
Multa super capto monstrat solatia mure:
Sic supra mortale caput porrectus in armos
Ille sagax homicida natans, emergere lymphis
Non sinit, & liquidis hominem spirare sub vndis
Destituat, donec vitam lucémque relinquat.
Circuit, & laniat bos sæuus lumine cassum,

Et diro rictu quem falsa cœperat arte
Mandit,& in ventris latebras humana recondit
Viscera,prò superi tali non digna sepulchro.
Si quis in æquorea cancrum prospexerit alga,
Laudibus extollet,tantam mirabitur artem.
Concessa ex alto solers prudentia cancro,
Cui parta est dulcis magno sine præda labore.
Ostrea distendit testas,& claustra recludit
Portarum,pascítque lutum,scopulísque,repanda
Gliscit aquas:paruum madida de rupe lapillum
Obliquus tollit cancer,chelísque recuruis
Continet,in testas lapidem demittit apertas.
Assidet,atque epulis lætus saturatur amicis.
Non potis est nixu geminas occludere lances
Ostrea.nam latis portis sciuncta dehiscit:
Et moriens saturum cancrum,lætúmque relinquit.
Sic struit insidias testis,sic subdola fraudes
Stella marina parat,sed nullo adiuta lapillo
Nititur,& pedibus scabris disiungit hiantes
Testas,& molles carnes,& viscera pascit.
Muscosos inter scopulos,cautésque profundas
Pinna colit,duro tegitur sub tegmine testæ,
Nil mentis,nil laudis habet,sine robore viuit,
Expers consilij testæ languescit in antro,
Et socium vitæ cancrum sub lance recurua
Accipit,& præda semper pascuntur eadem:
Communémque domum,simul & cõmunia tecta
Cancer habet,pinnam pascit,pinnámque tuetur,

Hinc pinnæ fertur custos cognomine Graio.
Cum tegetem subeunt pisces, tunc pinna doloso
Pungitur à morsu cancri, contacta dolore
Comprimit hæc postes, & prædam comperit intus:
Cum tali celebrat socio conuiuia pinna.
Inter squamigeras gentes pars callida degit,
Pars insulsa nimis, non omnibus vna voluntas.
Non omnes sanam voluunt sub pectore mentem
Mortales, non vera tenent vestigia recti.

Stultitia excellit cunctis ferus hemerocœta.
Est pecus ignauum, capitis cui vertice summo
Sunt inuersa supra radiantia lumina, rictus
Est inter medios oculos, lucésque profundo
Conterit in somno solidas prostratus arena,
Et solus noctu vigilat, noctúque mouetur.
Hinc piscis nigræ fertur cognomine noctis
Noctua, sed ventris sortitur damna voracis:
Non modus est luxus, non est mensura ciborum.
Indomitam seruat rabiem sub ventre rapaci,
Quam saturare potest nunquam, sed crescit edendo,
Donec cum rapido disrumpat viscera ventre,
Inuersus tento moriatur corpore in vndis,
Vel nimio pastu vita spolietur onustus.
Est tantæ signum crapulæ, ventrísque rapacis,
Apprendat si quis piscem, vel porrigat escas,
Est cibus ore tenus, pastu summa ora replentur:
Non tamen est tantus ardor compressus edendi.
Aduertat mortale genus, cognoscere ventris

Ediſcat finem:luxum,crapulámque ſequuntur
Innumeri morbi,domito ſunt ventre fugandæ
Menſarum illecebræ,manibus pedibúſque reuincta
Pellenda ingluuies,epulis menſura tenenda,
Plurima ne variis ponantur fercula menſis.
Nam ventris mortale genus diſſoluit habenas,
Per luxum rapitur præceps,ruit impete vaſto:
Tália proſpiciens finem fugit hemerocœtæ.
Callidus in denſis ſpinis ſe voluit echinus:
Nec ratione caret,ventum,rapidámque procellam
Præſagit,& cruſtis lapidem ſua terga grauantem
Aptat,quem facilem ſpinis imponit acutis,
Fluctibus vt poſsit firmato pondere ferri,
Ne tractus media præceps voluatur arena.
Polypodon fraudes populos vulgantur in omnes,
Qui ſimilem petræ magnum flectuntur in orbem:
Nexibus,& ſpiris hominem,piſcémque rapacem
Sic ſubterfugiunt aſtu,vitámque tuentur.
Si paruos videant piſces,prædámque minorem,
Rurſus & in piſcis formam vertuntur,& arte
Perquirunt victum,funeſtáque fata repellunt.
Polypodes gelida non verrunt æquora bruma,
Formidant rapidas vento impellente procellas.
Et curuis degunt antris,torpéntque veterno,
Abſumúntque pedes longos,non ſecius ac ſi
Carnes non paſcant proprias,quæ ſæpe renatæ
Exaturant dominos,Neptunus munera donat,
Fœcundátque pedes in pabula grata natantum.

Callida sic vrsos armat prudentia toruos,
Saxosúmque sinum subeunt, cautémque reductam
Detenti gelidæ brumæ caligine nigra,
Et fugunt, lambúntque pedes, carnésque relinquunt
Intactas, vacuo rimantur prandia ventri,
Donec iucundo laxentur tempora vere.

Immortale odium furioso è pectore promunt
Polypus insidiis, & duris carabus armis,
Et muræna ferox inter se bella lacessunt,
Et cædem alternant in prælia sæua ruentes:
Se perimunt pisces, inter fera surgit enyo:
Alter in alterius descendit viscera semper.
Ex scopulis muræna ruit furibunda per vndas
Perquirens gratum victum, per littora summa
Polypoda inquirit, letum, prædámque petentem.
Ille metu pauidus spectat, metuítque natantem
Per tumidas vndas, atque horrida bella parantem:
Nec vitare potest, nec cauta occurrere fraude.
Hostis purpureum rictum muræna reuincit,
Polypus extemplo contra pugnare coactus
Vertitur, & spiris & magnis nexibus illam
Arcet, sub vario flexu, firmísque flagellis
Nititur, vt pedicas murænæ, & vincula dura
Præpediat, sed nulla fuga est, nec lubrica membra
Elabi possunt, muræna fluit velut vnda.
Nunc hostis circa collum, nunc tergora circum,
Nunc circa caudam sinuosa volumina torquet.
Sic homines dura exercent qui membra palæstra,

Oſtentántque diu robur,de corpore ſudor
Effluit aſsiduus,multa contenditur arte,
Atque vndæ in morem nixus luctator vterque
Fluctuat,& contra magna vi brachia verſat.
Polypus extenſos iactat nullo ordine ramos,
Et ſudans vana contorquet membra palæſtra:
At muræna ferox rabido dat vulnera dente,
Dilaniat,partes miſerum confringit in omnes.
Nam membra in ventrem partim merguntur,at illa
Ore volutantur crudo,ſubiguntur acutis
Dentibus,hi laceri viuunt ſub dentibus artus,
Atque reluctantur,mortémque repellere tentant.
Et velut annoſus ceruus,cui cornua fronte
Sunt ramoſa,petit denſa veſtigia ſylua
Serpentis,nactúſque locum tum naribus illum
Attrahit è luſtro,figítque in corpore dentes:
Implicitus genibus ſerpens fera pectora nexu
Deuincit,collúmque tenet,ſemeſa vorantur
Partim membrorum,partim lacerantur acutis
Dentibus,& diri cerui laniantur in ore:
Sic miſeri piſcis luctantia membra mouentur
Conſilium miſero,vel quid prudentia prodeſt?
Quid prodeſt lapidis proprium ſumpſiſſe colorem?
Quid toties vitaſſe necem?vitaſſe voraces
Sub petra piſces,ſi non latuere doloſæ
Murænam fraudes ſola hæc deprendere mentem,
Sola dolos potuit,vanáſque eludere fraudes.
Tunc fœdam miſerata necem,& crudelia fata

Polypus

Polypus in ſcopulis duris laceratus inhæret.
Aſsidet hæc iuxta ſubridens, verba mouere
In piſcem credas, hæc ſcommata dira referre:
Te vafer occultas? nos ſperas fallere demens?
Experiar, num te ſcopuli tuentur, & antra,
Aut ſpelunca tegat, quæ portis clauſa repente
Arripiat, raptum ſubito te mergat hiatu,
Te retro pauidum ex antro conuellere poſſem.
Polypus (heu dirum) confoſſus vulnere multo
Non duros ſcopulos, deprenſáque ſaxa relinquit,
Implicitus ramis dura ſub caute reuinctus,
Donec ſola loco reſtent connexa flagella.
Vrbe velut capta pueri, matréſque trahuntur
Captiuæ, impubem natum complexibus almæ
Matris inhærentem miles conuellere tentat.
Per belli leges, natus non brachia nexa
Diſtrahit à collo, ſed matrem comprimit vlnis,
Non luctum ſedat, non brachia iuncta remittit
Chara parens, ambo nexi, vinctíque trahuntur,
Nec nodum ſoluunt, nec pectora iuncta relaxant:
Defuncti lacerum corpus ſic caute tenetur,
Sic hærens nunquam laniatus ſaxa relinquit.
Murænam ſæuam iactantem munera belli,
Iactantem cædes, & vana laude tumentem
Carabus abſumit ſpectans curua antra ſecundum
Quæ murena colit, ſubito duo ſpicula tendens
Hoſtibus oſtentat vires, bellúmque laceſsit,
Pugnanti ſimilis, qui fidit robore & arte

Militiæ,& validis ſeſe bene munit in armis:
Contra,ſed verbis audax cito percitus hoſtis:
Sic acuit m iræn æ animos,nec bella retardans
Proſilit ex thalamo ſubitò muræna profundo,
Et collum curuans ingenti accenſa furore
Fertur,& exitium properat,nec lædere morſu
Cruſtas terribilis piſcis valet aſpera membra
Incaſſum tendi rictus,& pugnat acutis
Dentibus:hi dura veluti de caute reiecti
Concuſsi fiunt hebetes,hæc concita motu
Inflammata furit:fortem prorumpit in hoſtem
Carabus,erumpit chelis,vt forcipe ferri
Fortiter apprendit collum,totúmque reuincit.
Effugere illa cupit,longáſque reſoluere chelas,
Non tamen eripuit ſeſe,atque inimica refugit
Spicula,ſed magno gemit exagitata dolore,
Obliquos flectens artus,ſua vulnera ſentit,
Carabus exhorret telis armatus acutis,
Et ſpinis,iaculíſque ferit:figuntur in alto
Corpore murænæ pali,paſsímque per omnes
Mucrones penetrant artus,& vulnera denſa
Efficiunt.muræna perit,ſed cauſa ruinæ
Ipſa ſibi exitium ſæuum,mortémque parauit:
Sic agitare feras ſyluis,& ſternere doctus
Venator,populos multos prope limina cogit.
Perculſam ſtrepitu ſcuticæ,motúque flagelli
Pantheram excipiens telo confodit,at illa
Mucronem cernens ferri,turbata repente

Effundit bilem,duro venabula ferro
Hærent,in medio penetrauit gutture telum:
Sic muræna furit,sic ira accensa domatur
Sponte ruens proprio miseranda in fata furore
Talia in arenti faciunt certamina terra,
Non longe à sylua serpens,atque asper echinus
Congressi,hostiles animos fors cessit vtrisque.
Serpentem spectans telis armatus echinus
Missilibus spinis totum se claudit in orbem,
Callidus in curua seruans testudine membra,
Ore venenato frustra dat vulnera serpens,
Terribiles scabro nec figit corpore dentes.
Tales spinoso tollunt se tergore crustæ
Orbibus innumeris deflectens aspera terga,
Vertitur obliquus nexu,spirísque rotatus
Flexibus irrumpit multis,& squamea terga
Serpentis penetrat,sanies distillat vtrinque.
Afficiunt magno iam vulnera crebra dolore
Serpentem,& totum perscribunt spicula corpus:
Qui circum ductus totus versatur in orbem
Duris implicitus nodis,& concitus ira.
Exacuit robur vires in prælia firmas.
At densi crustis sentes,& lubrica tela
Altius horrescunt in totum corpus adacta.
Confossus spinis refugit non prælia serpens,
Non euitandis telis hunc figit echinus,
Donec conficiátque simul cum corpore cæso
Concidat,atque pari casu moriatur vterque:

Sæpe etiam fato prudens ereptus echinus,
Elapſus ſtrictis vinclis iam morte perempto
Serpente, in duris cum reſtant ſpicula cruſtis:
Tali muræнam ſuperat certamine victor
Carabus, & rapido tribuit ſua pabula ventri,
Et fortem, & celerem duris & carabon armis
Polypus occidit, quamuis ſit robore multo
Inferior, curua ſpectans ſub caute quietum,
In dorſum irrumpit, ſinuatáque vincula nectens
Comprimit, & longis ex omni parte flagellis
Obſtruit, & pedibus paſsis ſpiracula ſumma,
Nec ſpirare poteſt, nec miſſos pectore rurſus
Accipere aërios flatus (à piſcibus vſque
Alterno trahitur, flatúque remittitur aër.)
Carabus oppreſſus liquidis nunc fluctuat vndis,
Sæpe reluctatur, nunc petra illiſus opaca,
Immotúſque manet, nec tanto marte duellum
Detrectat, donec longo certamine vitam
Deſtituat, fulua moriens procumbat arena.
Et veluti paruus infans circum vbera charæ
Nutricis lac dulce trahit, ſic polypus vtre
De curuo ſorbet carnes, & mergit in aluum,
Sic fur, qui lucis conſumit tempora ſomno
Iuſtitiam nunquam veritus nocturnus oberrat,
Anguſtóque latet vico, cœnáque regreſſum
Excipit inſidiis hominem poſt vina grauatum,
Ebria qui madida decantat carmina voce,
A tergo cedens in ſomnum pellit acerbum

Non longe à morte, & pulchros subducit amictus:
Talia cœruleis pisces meditantur in vndis.
Hi soli inter se pugnant, hostésque feruntur,
Et soli alterno pereunt certamine pisces:
Soli se perimunt crudelia bella gerentes.
Mortiferum quidam diffundunt ore venenum,
Horrida pestifero facientes vulnera morsu.
Est infame pecus ponti scolopendra marina,
Corpore terrestri similis, sed damna doloris
Hæc maiora facit, si quis modo cominus illam
Attigerit, feruet fœda prurigine corpus,
Qualem vrtica facit cognomine dicta doloris.
Piscanti infesta est. nam si deprenderit hamum,
Confestim tetrum longe spirabit odorem:
Et pellet pisces omnes, longéque fugabit:
Ore venenato sic lædit stigmate iulis
Exiguo: genus hoc qui findunt æquora vasta,
Oderunt. coguntur enim densę agmine multo,
Si videant homines rimantes saxa profunda,
Et studio celeres sulcantes æquoris vndas
Erumpunt curuis petris examine multo,
Atque cateruatim fusæ per membra natantis
Circundant acri morsu, vel dente laborant.
Hic morsu & rapidis gemit exagitatus ab vndis,
Atque manu & pedibus madidas arcere cateruas
Nititur, hæ firmæ circum immotæque sequuntur.
Sunt similes muscis, quæ autumni tempore primo
Messores fessos circundant agmine denso,

Hi radiis Phœbi domiti magnóque labore
Sudant, mordaces addunt sua stigmata muscæ,
Non cessant, donec satientur sanguine rubro.
Sanguinis humani tanta est innata cupido.
Obuia non tenui lædit nos sepia morsu,
Nec nos pestifero confodit polypus ore:
Noxia labuntur strigmenta è corpore toto.
Gobius in fulua nimium contentus arena,
Horrendus, curuo qui gaudet scorpius antro,
Et canis, atque draco, volucrísq; per æquora hirũdo,
Hi duris pugnant stimulis, fundúntque venenum:
Trygoníque, & gladio superi fortissima dona
Aptarunt membris, aque arma horrenda dederunt,
Firmarunt mento iaculum mucrone corusco
Erectum, tensum, duráque in cote politum:
Ferrea non solùm superare adamantina posset
Spicula, duritie tanta se tollit ab ore.
Hoc posset duram quamuis confringere cautem.
Tantus inest horror, consurgit acumine tantus
Impetus, & vires tantas in vulnere mittit.
Nascitur extrema cauda penetrabile telum
Trygoni, sunt telo vires, tetrúmque venenum,
Non viuum quicquã, non quicquã morte peremptũ
Trygones aut gladij mandunt, ni spicula figant
Antea, purpureo laniéntque cadauera telo.
Cum gladij gelidos dissoluit spiritus artus,
Corruptus subito languet fortissimus ensis:
Cum domino pereunt vires, telúmque relinquunt.

Nil tam pestiferum, sæuo nil vulnere maius
Trygonio, quæcunque viri mauortia tela
Sunt fabrefacta manu, vel dura incude polita:
Spiculáque à Persis nigro sunt tincta veneno,
Nec tales faciunt plagas, nec vulnera tanta,
Trygonis est viuæ quantum horrescenda sagitta.
Est nobis audire timor, vel dicere versu.
Indomitas vires conseruat trygone adempta,
Inuictúmque tenet robur: non corpora solum
Mortalis capit ista lues, sed saxa peredit:
Et virides lædit ramos, si cominus illos
Attigerit, pereunt plantæ, ramíque virentes,
Germina vere nouo contacta labe necantur,
Arboreíque cadunt autumni tempore fœtus,
Si radix sæuo fuerit mucrone notata:
Ac primo virides labuntur stipite frondes,
Siccatur truncus, fluit & velut ægra labascit
Arbor, corrupti languent cum robore rami.
In iaculo mater donauit dædala Circe
Telegono nato telum, vt prosterneret hostes.
Hic Ithacæ appulsus magni genitoris abegit
Armenta, & clarum belli virtute parentem
Letifero incautus misit mucrone sub orcum
(Hunc quærens Ithacæ lustrabat pascua læta)
Emensum terra, & mille pericula ponti,
Et passum duros longo sub marte labores,
Et multa expertum trygon mactauit Vlyssem,
Atque ducem solo prostrauit vulnere tantum.

Dum canis ardenti turbatur ſydere cœlum,
Et thynni,& gladij diro vexantur aſilo,
Qui fixus madidis illos contundit in alis.
Non arcere queunt,non hanc propellere peſtem,
Incutit hæc celeres vires,ſtimulóſque feroces
Concitat,armantur rabie,furiúntque dolore,
Inuitóſque agitat peſtis furibunda natantes.
Exhorret vulnus,bacchantur in æquore lato.
Hi torti ſtimulis incurſant nauibus altis,
Et ſæpe in terram ſaliunt è gurgite vaſto.
In tanto voluunt luctantia membra dolore,
Et vitam in tanto mutant cum morte furore.
Quinetiam fortes tauros infeſtat aſilus
Ilibus,& lateri medio cum fixus inhæret.
Nec iam paſtores curant,nec paſcua læta
Et virides herbas,ſtabulum,atque armenta relinquũt
Confoſsi furiunt rabie,non flumina poſſunt,
Non mare,non valles,præruptáque ſaxa tenere,
Mugitu complent ſyluas,ſtimulóque coacti
Exiliunt,flectúntque pedes horrore minaci.
Piſces,atque boues angit furibunda procella.
Delphini regnant ponto,gentéſque natantum
Imperio ſceptríſque regunt,ſunt robore clari,
Et forma,& volucri nimium ſe corpore iactant,
Et ſaliunt veluti neruis excuſſa ſagitta:
Ardentem emittunt flammam ſplendore micantem
Ex oculis,tenuem viſu,ſi forte timentes
Aſpiciant luſtris piſces,ſabulóque latentes:

Eſt inter pictas quantum regina volucres
Magna tonantis auis, vel quantum dira ferarum
Agmina magnanimi ducunt virtute leones:
Squamigeri quantum regnāt præſtántque dracones
Inter ſerpentes, tantum ſua regna miniſtrant
Delphines, liquidis tantum dominantur in vndis:
Imperio madidas gaudent frenare phalanges.
Non iuxta accedunt piſces, non lumina flectunt,
Formidant tumidos reges per marmora euntes,
Qui longe afflatu multo, ſaltúque feruntur,
Et ſtrepitu horriſono veniunt ad pabula nantes,
Collectas turbant acies, pontóque repellunt,
Exagitant armenta maris, pontíque meatus
Concutiunt omnes, magna formidine complent:
Piſcibus implentur pontus, pontíque receſſus.
Veſcuntur læti reges, lectíſque replentur
Piſcibus: vndiſoni ſaliunt multa agmina ponti
Delphini, quanquam tales ſunt piſcibus hoſtes.
Inueniunt diros amias quos nomine dicunt.
Intrepidæ ſolæ pugnant, contráque feruntur,
Robore peiores thynnis, in corpore molles
Carnes, continuo denſi ſunt ordine dentes,
In quibus horror ineſt, hinc eſt audacia tanta,
Hîc fortem ponti regem formidine nulla
A grege ſeiunctum aſpiciunt, ſolúmque vagantem,
Atque cateruatim veniunt ad martia bella:
Et veluti collectæ acies, multæque cateruæ
Bellantum ad pugnam veniūt, martémque laceſſunt,

Hostilem expugnant turrem, vi mœnia quassant:
At delphin magnis rostris hæc agmina primum
Contemnens, sed post rapidus consurgit in illam,
Arripit hanc, auido dat fortia pabula ventri.
Cùm densæ magnum circum delphina phalanges,
Et magnus cuneus fortem delphina coronat,
Tunc agitat mentem belli furor, & timet vnus
Exitium à multis, & duro marte laborat.
Hæ rabie circunfusæ per membra reuinctæ
Delphino infigunt dentes, & corpora passim
Scindunt implicitæ, sunt multæ à vertice summo
Quæ lacerant glauco rostro, madidísque sub alis
Nonnullæ infixæ, lateri pars illa recumbit:
Apprendunt aliæ caudam, ventrémque tumentem
Pars cruciat, quædam populantur maxima terga:
Istæ per spinas, illæ per cœrula colla
Pendent hic magno contorquens membra labore,
Conturbat motu pontum, sunt corda furore
Concussa, & tristes voluit sub pectore curas,
Et salit, atque furit victus, pressúsque dolore,
Et nanti similis fundo nunc voluitur imo,
Nunc summò fertur fluctu, cum turbine multo
Concutitur, saltat, nodúmque reuellere tentat.
Hæ nexu immotæ perstant, nec viribus vllis
Conuelli possunt, fluctu merguntur in imo,
Et cum delphino summas iaciuntur in vndas.
Sic nexæ subeunt vndas, summúmque per æquor
Emergunt, ponto dicas noua monstra creari

Neptuno, duri sunt fixi in corpore dentes:
Sic amiæ, & delphin vinclo nectuntur eodem.
Et veluti expertus tumido de vulnere multum
Sanguinis exhaurit medicus, qui vulnera curat
Lubrica, languenti firmatur corpore hirudo,
Quæ quondam nigra fuerat generata palude,
Letiferum sorbet totum tumefacta cruorem:
Curuatur, saniémque trahit, nec deserit vnquam,
Emungat donec letalem è vulnere labem,
Sponte cadat, posśit cunctis temulenta videri:
Sic amiæ nunquam tollunt è corpore dentes,
Ni partem apprensam subigant, laniéntque sub ore.
Postquam collectus delphin, bellúmque diremptũ,
Tum ducis irati rabiem, sæuúmque furorem
Spectantes amiæ, tunc horrida fata timentes
Effugiunt, sequitur delphin, lacerátque terítque
Stridenti similis presteri cuncta resoluit,
Et morsu laniat, rubet atro sanguine pontus.
Et veluti in sylua ceruum exagitare luporum
Agmina commemorant, collecti qui grege denso
Oppugnant timidum ceruum, rictúmque ruentes
Diripiunt teneras carnes, at cæde recentes
Dentibus absumunt diris, calidúmque cruorem
Absorbent: ceruus consperśus sanguine multo
Mortiferis vlulat plagis, & vertice celso
Montis concutitur, sectatur turba luporum:
Dilaniant viuum ceruum sub dentibus atris,
Et truncant nares, & rictus sánguine fœdant:

Antea quàm ceruus peragat sua fata, dolentis
Absumunt carnes, & adhuc de cæde rigentes
Inuerecunda lupi non pendent agmina pœnas,
Quòd ceruum rident crudeli morte cadentem:
Audaces amiæ, pœnas pro cæde dederunt.
Sum miratus opus clarum, quod venit ad aures:
Delphines, morbum cum iuxta accedere sæuum
Et propè letalem cernunt, impendere lucem,
Extremúmque diem, miseræ fata vltima vitæ
Norunt, & pontum vastum, scopulósque relinquũt,
Et terræ appellunt clausuri in littore vitam,
Vnus vt è multis surgat mortalibus, atque
Neptuno sacrum cernens delphina iacentem
Condat humo, veteris conseruet pignus amoris,
Vel pontus fuluis vndans obducat arenis
Defunctum ponti regem, ne turba natantum
Aspiciant hostes, defuncta cadauera lædant.
Æternum fulgens viuit post funera virtus,
Non decus egregium, non vires labe notantur:
Post mortem clarum viuit per secula nomen.
In pelagi populis, norit qui pascua, solum
Ingenio mitem cephalum, iustúmque vocabit.
Non genus externum lædit, proprias ve cateruas:
Non mandit carnes, non potum sanguine sedat.
Est genus intactum, non cædis labe cruentum,
Eiectámque salo cum cœno pascitur algam.
Hinc inter pisces illi reuerentia magna:
Nec lædunt cephali fœtus, vt cætera ponti

Agmina, nituntur dentes cohibere feroces.
Sic inter pisces cephalus veneratur honore,
Iustitiæ quocunque loco sua præmia seruat
Astrea: alternas meditantur in æquore fraudes
Turbæ aliæ ponti, nec soluunt lumina somno,
Sed vigilant pisces semper, virtute minores
Maiores perdunt, & pabula grata reportant.
Vt memorant scarus haud rapitur per tẽpora noctis
In prædam, at curuis nocturnus dormit in antris.
Quid mirum ex tumidis vndis si Astrea fugata est?
Inter mortales non est veneranda dearum
Iam versata diu, strepitus magníque tumultus,
Mars ferus, & sæui belli discordia nutrix
Humanum tenuere genus: non turba ferarum
Vrbibus à celsis penitus seiuncta, leones
Munitas turres, & cincta palatia muris,
Atque altas ædes superûm flagrantia templa
Humano nimium sparserunt sanguine, diri
Impleruntvnda fumi, & fuligine nigra,
Romanos donec miseratus Iuppiter, & vos
Æneadas terræ dominos, gentémque potentem
Constituit, totúmque dedit sub legibus orbem.
Ausoniæ antiquos reges in bella vocauit
Mars ferus, & contra fortes armauit Iberos,
Et Libyem, & Celtas: quid Rheni grandia gesta,
Quid fortes Histros in martia bella ruentes?
Quid memorem Euphraten: terras Astræa nitentes
Nunc colis, & placidas nutris cum gentibus vrbes,

Exquo magnanimus genitor, natúſque ſuperbus
Imperium terræ celſa de ſede miniſtrant,
Naſcitur ex iſtis mos & doctrina regendi.
Hos ſeruate dei multis voluentibus annis,
Iuppiter & ſuperi: pietati ſi qua futura
Præmia, felices ſceptro donabitis annos.

OPPIANI DE PISCIBVS LIB. III.

PVGNAS & varias piſcandi dicimus artes,
Et ſtudium, fraudéſque maris: nunc maxime princeps
Carminibus aduerte meis, & noſtra camœna
Te capiat: ponti ſub te ſunt ſceptra profundi,
Sub te Neptuni gentes, pontíque meatus,
Inter mortales rerum moderaris habenas,
Mercurij ex adyto Cilicis iuſſere camœnæ,
Vt vos detineam blanda dulcedine cantus.
O noſtræ patriæ numen Cyllenia proles,
Optime natorum clari Iouis ægide, cantus
Aſpira, atque vafras hominum deus erige mentes
Piſcantum, primus meditor contexere fraudes,
Piſcibus exitium variis hoc carmine pando.
Pan tua progenies per te diuina parauit
Cõſilia, hunc memorant magnũ eripuiſſe tonãtem,

Typhionem perhibent astu mactasse ferocem,
Deceptum cœna magno eduxisse barathro:
Emersum lati gradientem littore ponti
A Ioue fulminei misisi de nubibus ignes
Combussere, caput ter circum saxa rotatum est,
Purpureo ambusti sunt sparsi sanguine crines.
O Maia generate deus, tua numina placat
Piscator, sacri per te mihi gloria cantus.

Fortia sint celeri piscanti in corpore membra:
Nec sint macra nimis, nec sint abdomine tarda.
Nam fortes pisces est oppugnare necesse,
In quibus inuictum robur, dum pectore matris,
Vnde saltantes tumidum voluuntur in æquor,
E scopulo in fluctus opus est saltare profundos,
E fluctu rursus celsam conscendere cautem.
Si fuerint vasti ponti subeunda pericla,
Cœruleis opus est multum durare sub vndis,
Et longas tranare vias, fluctúque sub imo,
Vt sicca in terra, sæuos tolerare labores.
Est patiens mortale genus, non dura recuset
Piscator varius, cui sit prudentia multa,
Vt posit fraudes cautas, tectósque natantum
Coniectare dolos, & quæ meditantur in vndis:
Audax, impauidus, nec somno membra resoluat:
Erectam teneat mentem, nec lumina claudat.
Sit gelidæ patiens brumæ, patiénsque caloris,
Sole sub ardenti terris cum syrius ardet.
Sit facilis ponto, nec languida membra labori

Succumbant, sic grata plagas densissima ponti
Turba incauta subit, piscanti præda futura
Fortunata, sinus retis fractura capaces.
Decipies pisces autumni tempore sole
Occiduo, & liquidis cum primũ emergit ab vndis.
Cum Phœbus radios terras dispergit in omnes,
In bruma madidas poteris comprendere turmas.
Vere nouo longos vndis consumere soles
Piscando expediet: tunc fortunata natantum
Succedet captura tibi, tunc lina replebis:
Tunc acies ponti densæ vel littora iuxta,
Vel loca vicinis habitantes proxima terris
In fœtum & venerem miro pelluntur amore.
Exploranda prius lenis sunt flamina venti.
Si flatu furiant, vasti maris agmina terrent,
Et pauidi tumidis non euoluuntur in vndis.
Felicem nobis prædam feret aura secunda:
Contra spirantes ventos gens lubrica fertur,
Hac iter ad littus facile est, fluctúque coacta
Non dare terga retro, patitur mala littore multa
Piscator: boream versus trahat humida lina,
Cum notus Æoliis madidus se tollit ab antris:
Inq; notum vertat borea veniente sagenam,
In zephyrum vergat leuiter sufflantibus euris,
Contra eurum versus zephyrus post terga sequatur.
Sic captura tibi felix, pelagíque cohortes
Innumeras capies, & retia plena reduces.
Piscandi morem sectum dixere priores

Quattuor

Quatuor in partes: qui gaudent ære recuruo,
Pars calamis longis ſetas connectit equinas,
Vt capiat piſces: pars linum vimine iunci
Contextum è palmis iactat: pars expedit hamos
Multiplices pelagi turmis. qui retia tendunt,
Nominibus variis deſignant humida lina,
Gangama, & hos gripes, illas dixere ſagenas,
Iſtas verò hypochas, pezas, curuumque panagrum.
Sunt & qui ſphærones, & amphibleſtra vocantur,
Et quæ præterea per Graias plurima gentes
Nomina, queis poſſunt hæc humida lina referri,
Et retis narrare ſinus, maculáſque doloſas.
At naſsis alij capiunt, dum corpora ſomno
Soluuntur, dulci componunt membra quiete
Piſces, in placido dant menti gaudia ſomno,
Et lætum faciunt dominis ſub nocte ſoporem.
Eſt labor exiguus, ſed præmia magna reportant
Nonnulli ponti defigunt monſtra tridente
Ex terra, aut cymbis, vt fert ſua quenque voluptas:
Vt cuiuſque modum rerum, ſeriémque decentem
Cognoſcunt, tales meditantur piſcibus artes.

Piſcibus inter ſe non eſt prudentia ſolum,
Conſiliúmque ſagax, & multæ in pectore fraudes:
Decipiunt homines etiam, labuntur ab hamis,
Retibus impliciti fugiunt, linquúntque dolorem
Piſcanti, & miro victoria quæritur aſtu.
Non cephalus fraudis expers in retia lapſus,
Deſilit, & ſummas alte deſyderat vndas:

Nititur erectus saltu peruertere lina,
Et studio properare fugam, prudentia tanta
Non piscem fallit, postremos subere vinctos,
Euadit saltu funes, atque vltima fata
Sæpe fugit, charam vitam sub fraude tuetur,
Impete si primo summum non saltet in æquor.
In laqueum lapsus non viribus amplius vllis
Confidit cephalus multo languore repressus,
Expertus vires tanto discrimine cessat.
Et velut oppressus morbo mœrore fatigat
Mentem, fatalem cernens impendere lucem:
Affectat potum, vitales anxius auras
Concupit, & docti medici præcepta capessit:
Sed cum letiferas desperat pellere parcas,
Contemnit vitam, moribundos deserit artus,
Et stratus morti cedit languentia membra:
Sic cephalus noscens miseræ fata vltima vitæ,
A prædone necem expectat porrectus iniquam.
Si sphyræna sinu retis claudatur in amplo
Latum perquirit laqueum, quo lubrica terga
Serpentum in morem labantur retibus amplis.
At fuluam labrax alis effodit arenam,
Conatur foueam branchis aptare capacem
Corporis, vt magnos sub terris occulat artus,
Ac veluti lecto iaceat: per littora gripos
Piscantes verrunt, hic cœno immersus in alto,
Effugit exitium prædæ, fugit humida lina.
Astutus talem meditatur mormylus artem,

Tentas ſub bibula maculas declinat arena,
Labrax deflexo pendens confoſſus ab hamo
Continuo in lymphis concuſſo vertice ſaltat,
Et ſetas violentus agens ſua vulnera frangit,
Et maiora facit, funeſtáque fata repellit.
Et ſimiles aſtus orcynus pectore voluit:
Continuo raptus flexo mucrone ſub vndas
Deſilit, & tentus ſerpit per ſaxa profunda,
Piſcantúmque manu vi ſe conuellere tentat.
Atque caput ſubito quaſſans ſua vulnera lata
Reddit, curuatum magna vi deſpuit hamum.
Cum flexa tracti rapiuntur cuſpide piſces
Immanes veluti pecudes, & ſegnis aſellus
Et batis, atque boues hamum non ſponte ſequuntur:
Sed latum ſicca diſtendunt corpus arena,
Collectíque trahunt hamum prædone dolente,
Et ſæpe effugiunt diro mucrone ſoluti.
Aſt amiæ celeres, & vulpes fraude reuinctæ
Præueniunt ſummas morſu confringere ſetas.
Hinc piſcatores plumbum de cuſpide nectunt,
Plumbum, quod piſces cruciaret dente remoto.
Callida torpedo propria non fallitur arte.
Hæc diro magno plagæ confecta dolore
Corpore contrectat fœdo pendentia fila
Per ſetas, calamúmque dolor percurrit, & hæret
Tenſæ piſcantis dextræ, peſtémque reliquit
Nominis aſsimilem. tenues cecidere relapſi
E manibus calami, tali torpore tenetur.

Quin & natiua fœcunda est sepia fraude.
Est liquor in tumida concretus turbidus aluo,
Qui fuscus piceam superat caligine massam.
Conditus hic humor nutritur corpore, præsens,
Auxilium miseræ, subita formidine capta
Atras emittit guttas, & polluit æquor,
Obscurátque vias ponti tenebrosa cruore,
Permisto sanies piscantis lumina turbans:
Auertit visum, & prospectum surripit omnem.
Hæc facili cursu per tinctas æquoris vndas,
Effugit horrendos pisces, hominémque sagacem
Lolligo, atque alij qui findunt aëra pisces.
Tales inueniunt artes, non est liquor ater
Illis, purpureos potius de corpore fundunt
Humores, sed fraude pares, astúque putantur.
Quamuis sint tales, vigili capiuntur ab arte
Piscantis, ponto quoties voluuntur in alto,
Currentes rapiunt, pelagi non agmina cunctis
Sunt instructa dolis, cepis falluntur, & hamo.
Qui madida degunt terra, qua fluctus inundat,
Hi plus mente vigent: istorum corpore paruos,
Imbelles, tenues penitus, caride ve parua,
Theutide, vel cancro capies, longísue flagellis:
Quin & carcinadum obliqua si carne perungas
Salsa piscosos scopulos & proxima cauti.
Sic contrà parui magnis sunt piscibus esca.
Agmina, crede mihi, semper sunt cœca natantum,
Et coracinus agit thynnos, & paruula caris

Labraca,sed phagrus channi seducitur esca,
Dentricem boces,hippuros fallit iulis:
Orphum trigla capit,seducit cirrhada perce,
Mænaden auratæ,ponto muræna proterua
Polypodas agitata petit,cognomine pulcher
Affectat thynnos,orcynus gaudet asellis:
Anthicon gentes capiuntur labrace sæuo,
Hippuro gladij,cephalon iustissima turba
Decipiunt glaucum,furiunt sic monstra natantum.
Ast aliis alias cautus meditabere gentes
Fallere,maiorem poteris mulcere minore.
Inter se pisces laniant,& pabula sumunt,
Inque vicem pastus grati ventrísque voluptas.
O quantum execranda fames,ventrísque barathrũ,
Quo nihil est peius,mortalia pectora semper
Difficilis regina domat,non absque pauore
In nobis habitat miseris,& lumine mentis
Priuat,cum damnis affert malesuada ruborem.
Serpentes,volucres,pisces,genus omne ferarum
Ingluuies ventris domitat,mittítque sub orcum.
Anthicon primò studioso pectore prædam
Disces,quam patriæ sequitur vafer accola nostræ
Iuxta cantatum littus Sarpedonis alti,
Et quicunque colunt celebratam nauibus vrbem
Corycium:hîc Maia natus sortitur honorem:
Et quam marmoris abluit vnda habitant Eleusam.
Hîc scopuli celsi late curuantur in antra,
Quæ sunt in multas sub terris scissa cauernas:

Illic anthieon ſtabulatur denſa caterua
Piſcandi doctus liquidis ſpeculatur in vndis,
Non procul à terra ſcopulis obſeruat ab altis
Innumeras gentes, & nauem ducit in æquor,
Et ſtudet illiſas ſonitu quaſſare tabellas.
Hi piſces ſtrepitu gaudent: emergit ab imo
Vnus, & ad ſtrepitum currens hominémq; ratémque
Perquirit: vaſtum piſcator promptus in æquor
Demittit percas, vel niliacos coracinos,
Hoſpitij munus tribuens: hæc prima ciborum
Pabula diſpergit: iucundas arripit eſcas
Piſcis, & aſtutam prædonis gaudia mentem
Diffundunt prædam voluentis mente futuram,
Ac veluti manibus clarus, vel munere mentis
Hoſpitis egregij ſubeat palatia celſa:
Accipit hunc læto vultu dulciſsimus hoſpes,
Et primo grati dat munera pignus amoris,
Ad lautas epulas inuitat fronte ſerena,
Et læti gaudent placidis ſermonibus ambo,
Et gaudent epulis, alternáque pocula miſcent:
Sic lætus prædo ridet, ſubitóque futuram
Concipit elatus prædam, depaſcitur eſcas
Piſcis, & eſt totus præſenti munere lætus.
Hic poſtquã ad ſcopulos per multos ſæpe regreſſus
Soles, & toties eſcas deiecit in vndas,
Et non feſſus opus linquit, propriúmque laborem.
Collecti veniunt veluti præcone vocati
Ad paſtum ſemper celeres maiore caterua.

Piſcator varias ſemper dat pluribus eſcas.
Non alias ſulcare vias aliáſque cauernas
Hi cupiunt piſces, hæc circum ſaxa morantur.
Ac veluti ſtabulis brumali tempore clauſis
Læta armenta timent frigus, nec cædere longe
A ſeptis cupiunt, & paſcua cuncta relinquunt.
Hi cum proſpiciunt ſoluentem à littore nauem
Compulſam remis erecti examine multo
Applauſu expectant eſcas, ſuper æquore ludunt
Nutrici, occurrunt flectentes lubrica terga:
Ac veluti Zephyri mater prænuncia verni
Implumes paſcit pullos, hi gutture paruo
Stridunt, & ſaliunt nido, charámque parentem
Excipiunt læto plauſu, matríque renident,
Et gratis inhiant eſcis, reſonántque penates,
Pullorum cantu gaudet concentibus hoſpes:
Sic dulcem læti piſces ſectantur alumnum,
Occurrunt hilares venienti examine facto,
Inque gyros flectunt artus, agitántque choreas,
Eſca piſcator varia paſtúſque ſaginat,
Et manibus mulcens prætendit munera læta,
Et mites reddit piſces, qui iuſſa capeſſunt
Confeſtim regis, diro rapiuntur aſilo,
Quò tendit dextram prædo & quocunque recurrit
Nunc à fronte manum tendens ad terga reducit,
Nunc iuxta iactat littus, fallítque natantes.
Aſpicies veluti pueros, qui membra palæſtra
Nunc hac, nunc illac tendunt, dociléſque magiſtro

Parent,& celeres agitant ad iussa lacertos
Cum iecit plures escas,& maxima tantæ
Cura subit prædæ,longas pendente sinistra
Comprendit setas,forti mucrone politos
Expediens hamos,& iussu submouet omnes
Dextræ:vel lapidem paruum iaculatur in vndas,
Se super immergunt pisces, lapidémque sequuntur.
Quem credunt escam,& fundum voluuntur in imũ.
Piscator linquit de tot modo millibus vnum
Seiunctum à turba,qui fato natus iniquo
Vltima suprema decerpsit pabula sorte.
Huic subito cautus piscator porrigit hamum,
Arripit anthias hanc fraudem,vir fortis vtrísque
E ponto manibus prædam celerémque vafrámque
Attrahit,& piscem cymbæ deponit in aluo.
Anthieas latuere doli:si forte viderent,
Aut strepitum audirent sublati piscis ab hamo,
Non pastu caperent,non fraudibus amplius vllis:
Conuersi fugerent escas,artémque,locúmque
Letiferum exosi:sed magno robore nixus
Attollit piscem,succedit viribus alter,
Cui labor est tractum piscem deponere cymba,
Sic sunt occultæ fraudes saturatáque turba
Piscantes reddit saturos,est præda futura
Fortunata satis,fuerit modo certa voluntas.
Viribus ast alij fidunt,magnísque lacertis,
Expediunt contra sese certamine magno
Non labor assiduus illis,mucrone corusco,

Aut magno validis contendunt robore membris,
Formatus solido ferro, siue ære micanti
Hamus sub gemina limatum cuspide fortis:
Lino sint texti funes, & labraca viuum
Mittat sub fluctus, teneat si labraca viuum.
Si vita functus labrax, super ora grauabit
Plumbum, quod delphina ferunt. ac pondere pressus
Viuenti similis labrax agitatur in vndis.
Stridorem funes reddunt, concussa sub alto
Sparta fremunt, vasto saliunt ex æquore densi
Anthiæ ad instrepitum funis, nauémque sequuntur.
Impellit remos alius, piscator ab alta
Puppe iacit fortes hamos, mittítque sub æquor,
Et flectit paruo motu, versámque carinam:
Sectantur pisces densi, similémque natanti
Labraca prospiciunt tractum, cursúque laborant
Mentitam superare fugam, & conamine magno
Certatim glutire cibos, primósque vorare.
Iratum credas hominem concurrere in hostem.
Anthias exposcit lurco pingues araniscos,
Est si quos nactus, gratam vafer obiicit escam
Illi piscator: subito mala pabula carpit
Anthias insanus: miræ spectacula pugnæ
Aspicies, magnas vires ostentat vterque.
Nam fortis prædo duro sub marte laborat:
Ille reluctatur tractus, fatúmque repellit.
Fortia sub tanta curuantur brachia mole,
Et frons, atque humeri, collum, venæ que tumescunt:

Viribus,& tanto nixu distenta fatiscunt.
At piscis multo confectus membra dolore
Prædonem violentus agit,ducítque sub æquor:
Ille iubet socium remis impellere nauem.
Iam strident funes,& iam respersa cruore
Est abscissa manus,nec cessat marte proteruo.
Non aliter quàm si iuuenes duo robore fortes
Inter se prensos certent diuellere funes,
Adducántque retro collum conamine magno:
Atque trahunt æquam mensuram funis vterque,
Nec mora,nec requies,retrahãt,paritérque trahãtur:
Sic pisces prædóque simul certamina miscent.
Hic cupit elabi,cupit ille educere piscem.
Anthiæ at haudquaquam pressum mœrore fidelem
Destituunt socium,crudeli abducere fato
Contendunt,hærent tergo, miserúmque prementes
Non stulti aduertunt socium se perdere charum.
Incassum pisces cupiunt confringere setas
Dentibus obtusis,est illis rictus inermis.
Tandem concussum remis,victúmque dolore
Piscator violentus agit,prædámque capessit.
Si paulum cedat pisci,conuellere nunquam
A ponto poterit,sunt tantæ in corpore vires.
Serrata spina filum plerunque recidunt,
Labuntur curuis hamis,vacuúmque relinquunt
Prædonem , & tumidas fugiũt super æquoris vndas.
Viribus est talis piscis cognomine pulcher,
Orcyni,& quicunque alij sunt corpore vasto:

Talia non paruo capiuntur monſtra labore.
Multas obiecta piſcator callidus eſca
Seducit ponti gentes:tibi præda benigna
Cantharus occurrit,qui degit caute profunda.
Cui naſſa implicitum circum ducatur in orbem,
Sit circum teneris virgis contexta liguſtri,
Sit lentum ſparti connexum vimen Iberi.
In latum venter ſe porrigat ore capaci.
Carabon immittas intro,vel polypon,ambos
In flamma toſtos:tali nidore trahuntur.
Inſidias ſcopulo contextas vimine denſo
Obliquas tendes:vaſto de marmore nidor
Cantharon impellit naſſas intrare capaces.
Ingreditur timidus primo,paſsímque retentat,
Et retro lapſus naſſæ ſuper ora recurrit.
Coniiciunt eſcas intro,paſtúſque recentes.
Suſcitat hos venter rapidus,ſubigúntque,ciéntque
Inter ſe piſces,clauſas animantur ad eſcas,
Vt ſocius ſocio dulcis conuiua vocatur.
Iámque cateruatim ſubeunt,poſitóque pauore
In naſſa degunt ſolida iam luce quieti,
Ac ſi poſsideant miranda palatia piſces,
Tandem decepti norunt mala luſtra natantes.
Non aliter iuuenes pupilli tecta frequentant
Æquæui,quibus in luxu conſumere vitam
Eſt animus,paribus ſtudiis laſciua iuuentus
Accerſita ruit,ludis,noctéſque diéſque
Conterit,atque domus miſeræ patrimonia fundit:

Vt ſtultos iuuenes rapit inconſulta iuuentus,
Luxuries tandem mœſtum tulit improba finem:
Sic clauſæ ponti turbæ ſupereminet atrum
Exitium, prædo naſſæ tegit ora patentis,
Deprenſos curuo ſepto, ſegnéſque reuellit.
Sic demum miſerum cernunt impendere fatum,
Luctantur, ſtultíque foras, obrepere tentant,
Infortunatos ſerò nouere penates.

Admoas capiunt autumni tempore naſſa
Viminea, medias fraudem iaculantur in vndas,
Sub naſſa appendunt tophum, quod ſubere firmum
Suſtentant, ſuper & madidas in fraude recondunt
Quattuor humenti cochleas in littore captas.
Lentorem cochleæ fundunt, hinc ſpuma marina
Albicat, & paruos allectat mota natantes
Turbas in ventrem pronas, quæ vimina circum
Curua natant: cubito adnixæ ſpeculantur ab alto
Admoes extra naſſam, curuúmque receſſum
Piſciculos paruos ſalientes agmine multo:
Et ſubito irrumpunt (venter rapit improbus illas)
Nec prædam nactæ (liquidas fugit illa per vndas)
Inſidiis fruſtra ſeſe diuellere tentant.
Dúmque parant aliis, peſtem labuntur in ipſam.
Non aliter ſylua in denſa montanus agreſtis
Fallaces tendit laqueos, & vincula dura
Teſtibus annectit catuli, latratus ad auras
It, denſæ reſonant ſyluæ, panthera gementem
Sentit, & exultans quærit veſtigia vocis,

Accurrit vincto properans, sed fertur in altum
Mox canis occulta techna, subit illa lacunam:
Non cibus est curæ tanto perculsa pauore,
Desperat superas depressa euadere ad auras:
Tales admoes sunt passæ ad pabula casus,
Pro pastu nigras orci venere sub vmbras.
Chalcidibus fraudes autumni tempore prædo
Instruit, & thressas prendit, gentésque proteruas
Traguron, nassam sparti de vimine texens,
Et vili mistam viciæ, sub vimine massam
Claudit, & aspersam vino, miscétque puellæ
Assyriæ lachrymas, quæ turpi accensa furore
Thiantis patris longæuo immista parente
Infandum irata patrauit Cypride crimen.
Exuit humanam fatali numine formam,
Arboris in faciem versa est cognomine Myrrhæ,
Deflens concubitum lachrymis aspersa nefandum.
Hos succos miscet nassam sub fluctibus aptans.
Talis odor subito spirat per marmora lata,
Alliciens species varias, & nassa repletur,
Et fortunatæ succedunt munera prædæ.
Obscœni madida salpæ nascuntur in alga,
Vili decepti miseri falluntur ab esca.
Nauiget in primis piscator forte diebus,
Obseruétque locum, & lapidem deturbet in vndas,
Et circum virides saxum dependeat algas.
Obscœni salpæ depascunt hæc loca circum:
Hic nassæ tendat fraudes, ast ora secundum

Extrema cuncti, fluctúsque crepidine clausi
Effugiunt, melanurus abit resonantia circum
Æquora, prospectans si perturbata procellis
Marmora diffundant escas ad littora grata.
Stultus non hominis nouit prudentia quanta
Sit potior, pisces qui brumæ tempore fallit,
Cum feruent fluctus, cum ponti tollitur æstus
Cernuus in scopulo, ponti quem verberat vnda
Altior, & circum stridentia saxa remugit.
Piscator tumidis dispergit fluctibus escas
Lac cereri admistum. currunt ad pascua læti.
Cum tantum iactu distant à littore retis,
Vertit in obliquum corpus piscator, vt vnda
Disparens pauidis non reddat piscibus vmbram.
In manibus fragili calamo dependeat hamus
Appensus tenui filo, cui desuper escam
Ponens commotum à fundo deturbet in æquor.
Exitium arripiet piscis, piscator ab alto
Vertice subtollens hamos plerunque reducit,
Elusus calamos, vacuúsque reuellitur hamus.
Non bene discernit turbata fluctibus vnda,
Si frustra rapiat, vel si comprenderit hamus
Piscem, si teneat, subito conuellere tentat.
Ne reliqui aduertant fraudem, fugiántque timore.
Et cephalos fallunt, qui non sunt turba gulosa.
Admiscent lacti cereris gratissima dona,
Spirantémque terunt Mintham, cocytida nymphã,
Quondam formosam celebri rumore puellam

Iuppiter infernus petiit, tenuitque petitam.
Sed cum Persephonen rapuit sub montibus Ætnæ,
Zelotypa exclamat Mintha exagitata furore,
Atque procax verbis furit indignata superbis.
Aspectu & forma iactat sibi cedere pulchram
Persephonem, & Stygio nympham propellere regno.
Tandem fallacis sensit mala præmia linguæ
Alma Ceres pedibus Mintham tellure iacentem
Pressit, & in plantam nympham conuertit olentem.
Hamos illiniunt, cephalus pellectus odore
Accurrit subito, nec longe sistit ab hamo.
Est illi similis, qui trita ad compita venit,
Ramosásque vias cernit, gressúque represso
Nunc animum ad dextram vertit, quãdoque sinistra
Tentat iter, partes dubius se voluit in ambas.
Fluctuat ambiguus, vasti veluti maris vnda,
Vix alternati potior sententia visa est:
Sic cephalus partes animum versabat in omnes,
Spectabátque dolos, anceps Neptune petebat
Pabula, iam fato fuerat vicinus iniquo,
Et metuit, cessítque retro, rursúsque timore
Concussus fraudem repetens vestigia pressit.
Est occlusa domi talis lasciua puella,
Cum cupiat dulces epulas absente parente,
Vel tractare aliquid, matris charæ timet iram:
Et quamuis cũpiat, non audet tangere quicquam
Occulte repens, rursus pauefacta recedit.
Nunc timor est animo, nunc est audacia cordi,
Formidans

Formidans ſemper conuertit lumina portæ.
Sic piſcis liquidis varius deflectitur vndis,
Et triſtem fraudem perluſtrat cominus audax,
Non guſtare cibum, non hamum tãgere promptus:
Ni prius aduertat, ſi viuæ carnis odores
Percutiant nares (paſcit non corpora viua)
Poſt ſummis mordet labris, & pabula libat.
Piſcator ſubito piſcem mucrone reuellit.
Sic auriga ferox bene continet ora lupatis
Fortis equi, aduellit confoſſum gutture piſcem,
Atque reluctantem contra, labíque parantem.
Quin etiam curuis gladij falluntur ab hamis:
Non, veluti reliqui, ſubeunt crudelia fata.
Appendunt chorda limatum cuſpide bima
Hamum, qui nulla ſit contemeratus ab eſca.
Hoc ſuper imponunt piſcem de mollibus vnum,
Quæ cautè annectunt: gladius ventre excitus audax
Enſe ferit corpus piſcis, nodóque relapſa
Membra reſecta cadũt: gladius defertur in hamum,
Non nouit curuam fraudem mala prandia carpens,
Ducitur à forti gladius prædone reuinctus.
In gladios duros piſcator plurima cudit,
Per mare Tyrrhenum dum tendit piſcibus artes
Maſsiliam iuxta ſacram, Celtáſque potentes.
Hîc gladij immanes, & vaſto corpore degunt,
Qui ſuperant reliquos ingenti mole natantes,
Squamigeram effingunt cymbam mucrone feroci,
Quæ poſsit gladius ſquamis, atque enſe videri.

Occurrunt contra gladij,non transtra videre,
Non cymbam sperant,verum socia agmina rentur.
A cymbis tandem clausi,mala dira reuoluunt
Pectore sub tristi,serò sua fata videntes,
Cum sunt perfossi sua membra tricuspide telo.
Sæpe repellentes hostem mucrone carinam
Irati penetrant:gladij piscator ab ore
Abscindit telum,paruæque foramina cymbæ
Obstruit,hic trahitur priuatus robore tanto.
Non aliter capiunt meditatis fraudibus hostem,
Qui cupiunt arcem,seu cinctam mœnibus vrbem
Oppugnare dolis,prostrata cadauera furtim
Armis expoliant nitidis,& scuta virorum
Magnorum accipiunt humeris,armantur ouantes
Hostilibus spoliis,& circum mœnia currunt,
Et circa portas qui celsa cominus arce
Despiciunt,ciues credunt,& claustra recludunt
Portarum,& charis omnes lætantur amicis:
Sic nauis gladium sub piscis imagine fallit.
Obliquis septum linis dementia fortem
Interimit piscem,salit atque euadere certat,
Contextas fraudes cędit,nec mente reuoluit,
Quo pacto telo sese componat in hostem,
Territus in septo retis,totúsque remissus
Est animo,donec miserum per littora voluat
Piscator,gladiíque caput diuerberet hastis
Multis,& piscis peragat crudelia fata.
Insulsos capiunt scombros,thynnósque furentes,

Et pisces dente horrendo, belonásque rotundas.
Cum videant alios scombri curuamine retis
Clausos, affectant retis colludere in aluo,
Et lini penetrare sinus, curuósque recessus.
Sunt similes pueris, rutilas qui lumine flammas
Ardentis cernunt ignis, radiósque nitentes,
Ridentes tractare volunt, dextrámque tenellam
In flammam tendunt, sed cum torquentur ab igne,
Tunc demum norunt infestæ incendia flammæ:
Sic illi cupiunt fraudem, datur vnde regressus
Nullus, & hostili miseri satiantur amore.
Qui septo retis clausi per retia rara
Exiliunt, illos cohibent angusta plagarum
Impliciti lino, fato moriuntur iniquo.
Innumeros scombros spectabis retia circum
Affixos sicuti clauos: hi lina subire
Contendunt, fatúmque petunt: hi rete reuincti
Exiliunt, madidásque plagas euadere certant,
Et similis fatuum tangit dementia thynnum.
Atque malo tanto, diráque cupidine damni
Corripitur, sempérque cupit penetrare recessus
Retis, & in laqueos sese intricare dolosos,
Conatur rictu maculas extendere paruas,
Et duro morsu laqueos laxare plagarum,
Nec properare fugam celerem per retia tenta,
Nec valet angustos luctando exire meatus,
Sed duris vinclis alto sub gutture vinctos
In terram thynnos rapit inconsulta voluntas.

Quinetiam belonæ ingenio tali esse feruntur,
Cum sunt ereptæ lino, duróque periclo,
In laqueos fundunt bilem, morsúque recidunt,
Inque sinus rursus tentant irrumpere dente
Decepti insidiis vallato dente natantes.
Insulsi curuum demissum fluctibus hamum,
Inque vicem obliqui prospectant lumine toruo,
Non hærent fraudi. si quis præcurrat ad escam,
Magna subit reliquis rapiendi audacia menti.
Infixus trahitur primus, sed cætera turba
Læta vident, rapti gaudent in fata ruentes
Certatim, veluti pueri ad ludibria læti:
Thynnorum gentes grato sub tempore veris
Post partum, & veneris postquam cessauit oēstrum,
Oceani celeres veniunt à fluctibus altis,
Atque sinus aliò sulcant. nam fortis Iberi
Primo traiiciunt portum, gens aspera bello,
Et studio prædæ thynnos populatur euntes.
Post Celtę capiunt prędā ad Rhodani hostia pulchri
Necnon quos veteres emisit Phoca colonos.
Trinacriam quicunque tenent, post retia tendunt,
Thynnis, & præda fortes ditantur opima.
Tyrrhenum iuxta pontum per marmora thynni
Sparsi per tumidos æstus, fluctúsque profundos
Errant, cum vernæ findunt vasta æquora turmæ.
Túncque locum piscator habet, non flamine venti
Turbatum, & placida qui nunquam fluctuat vnda.
Non adsunt ripæ densæ, non rupe maligna

Augustus.teneat mensuram littoris æquam
Piscosis ponti scopulis,latísque cauernis,
Ascendat celso speculator vertice montis,
Memnonis alma parens primo cum surgit ab ortu,
Aspiciat varias acies quanto agmine verrant
Vndas,& sociis subito prædicat ab alto:
Confestim pelago procedunt retia cuncta.
Sunt vrbes veluti magnæ,queis limina lata,
Queis portæ,magníque sinus,magníque recessus,
Pérque tribus sicuti properant ad bella phalanges:
Sic thynni veniunt,hi sunt in flore iuuentæ,
Isti longæui,medio sunt tempore multi,
Innumeri vastam retis labuntur in aluum,
Donec prædones educant retia læti,
Distendátque sinus omnes ditissima præda.

OPPIANI DE PISCIBVS LIB. IIII.

IN prædam multas ponti iubet ire phalangas
Sæuus amor,diras thedas venerémque secuti
Letalem,& coitu properatam accersere pestem
Enixi,sæui subierunt damna furoris.
Antonine pater,cui magna potentia cessit
Inter magnanimos reges,decor inclyte nati,

Carminibus noſtris lætam conuertite mentem
Præſentes mecum verſu gaudete natantum,
Quem ſacræ muſæ tribuentes mitia dona
Exornant vario cultu cantúque coronant:
Et mihi diuino concedunt numine veſtris
Auribus,& menti dulces miſcere liquores.
Improbe amor ſuperas fallaci pectore diuos,
Iucundus viſu,figis ſub corde dolores,
Excipis incautos homines,velut alta procella,
Turbans accenſos ſpiras ſub mentibus ignes.
Triſtia feruenti depaſcis pectora cura.
Lachrymulis teneris molles infundis amores,
Téque iuuat cordis gemitus audire profundos,
Te iuuat ardenti conſumere viſcera flamma,
Te formæ nitidos iuuat obſcurare colores:
Perturbare potes mentes,oculóſque cauare,
Præcipue quibus attonitis horrore tremendo
Incutis horrendam rabiem,tantúmque furorem.
Dire Cupido tibi ſunt hæc conuiuia grata,
Si ſuperos inter vetus adducatur origo,
Quippe Chao natus fuſca flammáque nitenti
Luces,& faculas mortalibus excutis ignis.
Primus iunxiſti thedas in amore iugales,
Et primum mites formaſti durus agreſtes.
Alatum veluti volucrem te dædala celſi
Progenitrix regina Paphi:tu mente ſerena
Pacatus venias tranquillo pectore nobis,
Pone modum:nullus duros effugit amores.

Imperium quocunque regis, quocunque locorum
Te cupiunt homines, & magno ſceptra pauore
Formidant, felix qui mitem ſentit amorem.
Mortales, ſuperi, volucres, genus omne ferarum
In furias ignémque ruunt, amor omnibus idem.
Acer amor penetras limoſæ in ſtagna paludis:
Letifero madidos defigis vulnere piſces.
Vt nihil intactum dimittant ſpicula ſæua,
Nec piſces altis celeres linquantur in vndis.
Connubiale ſcari conſeruant fœdus amoris
Inter ſe: ſocium haud ſummo diſcrimine linquunt,
Vulnifico ſcarus eſt poſtquam defixus in hamo,
Eripitur ſocio, ſæpe auxiliaribus armis
Pendula ſerrato reſecatur linea dente,
Eluſus prædo triſtatur piſce recepto:
Aſt alius ſocium curuo ſub vimine captum
Suſtulit, & dira miſerum de peſte redemit.
Lapſus in inſidias naſſæ ſe vimine piſcis
Diſſoluiſſe cupit, clauſámque relinquere ciſtam
Obſtipo capite defigit lumina terræ,
Et natat in caudam docilem, ſeptóque vagatur
In caput erumpens virgas formidat acutas.
Quæ circuntextæ ſubclaudunt hoſtia ſumma,
Ne feriant oculos: alij ſub vimine clauſum
Aſpiciunt ſocium flectentem lubrica terga,
Atque reluctantem fruſtra, labíque volentem:
Auxilium præſtant miſero, calathóque reuellunt,
Et caudam veluti dextram quis porrigit intro

Mordicus apprendit ſubito, & conuellitur extra
Cauda ſalutifero ſocij ſub dente reuincta,
Sæpe ſuam clauſus mittit per vimina caudam,
Qua portas extra trahitur reuocatus ab orco,
A ſocio ſocius ſcarus eſt hac arte receptus.
Montibus incultis veluti ſub luce maligna
Noctis iter carpunt multi, cum luna recondit
Lumen, & obſcurum ſubfuſcant nubila cœlum,
Anfractus montis illos, tenebræque fatigant
Errantes, dextráſque tenent, tractíque trahuntur,
Alterno reparant ſudantia membra labore:
Atque ita amicitiam piſces, & mutua ſeruant
Fœdera, & occiſos alterno dente reſoluunt,
Piſcatórque ſcaros in mœſto fallit amore:
Nec mora fatiferam meditatur piſcibus artem.
Quattuor aſcendunt ſcapham, ſed remige proni
Sunt duo, qui pellunt ventoſa per æquora puppim,
Tertius intexit fraudes, vertítque per vndam
Fœminei ſexus per ſumma ſcarum ora reuinctum,
Præſtaret viuam: fuerit ſi morte perempta,
Delphini plumbum medio ponatur in ore,
Quod longas quatiat chordas, & fune reuinctos
Parte alia cubus plumbi verſetur in vndis,
Fœmina viuenti ſimilis prædone trahetur.
E regione trahat quartus de vimine naſſam
Non procul à ſepto ſpectantes agmine multo,
Vt ſociam exitioſa ſcari per marmora tractam
Eripiant, celeres currunt, nauémque coronant

Fœmineis

Fœmineis acti ſtimulis: hi remige puppim
Viribus impellunt, piſces examine denſo
Sectantur ſcapham, ſubito cum fine ſupremum
Auxilium venit, cum tot videt agmina circum
Piſcator, tanto veneris ſtimulata furore,
Atque in fœmineum rabiem ſpirantia ſexum,
In naſſa ponit linum, plumbóque grauatum
In ciſtæ antra ſcarum pellit, turba iſta ſecuta,
Vt vidit, vt fuſa eſt, textum concurrit in orcum.
Certatim trahitur ſtudio colliſa caterua:
Arctantur fauces latæ, portæque patentes,
Agmine denſato tali rapiuntur aſilo.
Non aliter quibus in curſu contingere palmam
Eſt animus, celeres erumpunt carcere, tentis
Ad curſum genibus properant, & vincere certant,
Alternántque pedes, fit multus in æquore puluis:
Omnibus vnus amor laudis, contingere metam
Ardentes cupiunt, & præmia mente reuoluunt.
Sic amor in ſeptum pellit, naſſæque profundum,
Et trahit in fraudem piſces, datur vnde regreſſus
Nullus, & ocluſa nequeunt euadere ciſta,
Supremo pereunt coitu, veneríſque furore,
Et ſponte in caueam ſe deiecere doloſam,
Et piſcatori prædam fecere ſuperbam.
Quinetiam curua libratur fœmina naſſa
Pendens ſpeluncam iuxta, quæ grata putantur
Antra ſcaris: veneris multos hîc mulcet amore
Fœmina, quos veneris cupidos leuis excitat aura.

Nam ſaliunt circa ſeptum, faucéſque requirunt,
Quod nactæ ſubito fundum voluuntur in imum,
Et veneris finem ſtimulos in morte relinquunt.
Ac veluti alitibus fraudes bonus inſtruit auceps,
Occultat volucrem denſa ſub fronde canoram,
Quæ multas blandi capiat dulcedine cantus,
Dulce melos tenui volucris de gutture fundit,
Ad quam feſtinat volucrum denſiſsima turba,
Fœmineo allectæ cantu ſub fraudibus hærent:
Sic illi curuam naſſæ labuntur in aluum.
Hoc letale malum ſubter præcordia figit
Sæuus amor cephalis, quos fœmina tracta per vndas
Mollior, & ſplendens, & totum corpus obeſa
Decipit, hac viſa miro pelluntur amore:
Collecti circa forma capiuntur, & illam
Nunquam deſtituunt, blandi mulcentur amoris
Illecebris, dominam per marmora lata ſequuntur.
Ad terram ſi quis lino ſubduxerit hoſtis,
Obliti fraudis veſtigia ponè ſequuntur.
Non aliter pulchræ proſpectant lumina nymphę
Formoſi iuuenes, longæ nitidæque puellæ
Læti admirantur formam, quæ poſsit amari,
Mox iuxtà quærunt occulto tramite nympham:
Non illos repetunt calles, quos antè ſolebant,
Pellecti nutu dulcem ſectantur amicam:
Sic ſparſos piſces videas in amore furentes.
Aſt amor actutum veniet deſpectus, & illos
Piſcator cautus nodoſa in retia pellet:

Nexilibus laqueis iactis teget agmina multa.
Non fortunato cata ſepia carpitur igne,
Quæ multa in pelago potuit vitare pericla,
Iam non lina fugit,non denſi vimina ſepti
Eliciunt illas piſcantes æquore toto
Fœmineam appendunt peſtem, ducúntq; per æſtus
Poſtquã è conſpectu vaga fœmina tracta per æquor,
Cernitur à maribus,ſubito amplectuntur amatam,
Atque volubilibus nodis,ſpiríſque rotati
Implicitam ramis ſtringunt,cupiúntque teneri.
Ac veluti virgo fratrem,mitémque parentem,
Qui longe à patria fuerat iam tempore longo,
Incolumes cernens teneris complectitur vlnis:
Ac veluti nuper iuueni formoſa puella,
Aurea quam vinclo vinxit Cytherea benigno
Arrepta ad thalamum ſponſi complexibus hæret
Candida dilecto circundans brachia collo,
Inque rudi nodo conſumit tempora noctis:
Sic iſtæ implicitæ veneris nec munera linquunt
Tali connexæ nodo,nec vincula ſoluunt,
Donec piſcator capiat,cymbæque reponat
Connexæque ſimul ſubeant crudelia fata.
Has etiam naſsis capiunt ſub tempore verno.
Nam curuum ſeptum myrti de fronde coronant,
Et iungunt virides frondes,quas horrida gignit
Arbutus,atque aliis foliis hoc vimen opacant,
Cum coitum cupiant,& dulces ſoluere partus
In caueam properant,& ſtrata fronde quieſcunt:

Sic amor expletur misera cum morte proteruus
Pisces in siccam clausi ducuntur arenam.
Pestifero ante alios merulus cruciatur amore,
Vxores ardet plures,vexatur oëstro
Vexatur zelo,zelus grauis vrit amantes.
Non vnus lectus merulo,non vnica nympha,
Non thalamus,multæ vxores,multæque cauernæ
Semotæ occultant numerosa cubilia nymphæ.
Tota habitant curuis sponsæ sub luce cauernis,
Súntque nouis similes nuptis,quæ limine nunquam
Discedunt thalami,tantum sub corde pudorem
Voluunt,& tanto suffundunt ora rubore.
Sic in secessu scopuli gens ista moratur:
Coniugis imperio parent,& iussa capessunt.
Dilectas merulus sponsas non deserit vnquam,
Obseruátque toros,aliò conuertere mentem
Non potis est,scopulis semper versatur in iisdem,
Nunc istum quærit thalamum,nunc circuit illum,
Contemnit pastum,totus suspirat in istas.
Zelotypo misero tantum custodia curæ.
Nocte cibos quærit,paulum quid nocte quiescit.
Cum pariunt fœtus sponsæ,tunc æstuat igne,
Tunc furit,atque timet:nunc coniuge pendet in illa,
Nunc obit hanc:pauidū credas,similémque timenti.
Non aliter tantos voluit sub mente dolores.
Mater cum primum fœtum parit vnica nata,
Hanc timor excruciat,furit exagitata dolore.
Per thalamum queritur gemitus à pectore mittens,

Atque preces fundens toto manet anxia corde.
Donec vagitus pueri pulsauerit aures
Sollicitaeiiciens tantos à matre dolores.
Assyrios memorant tales adducere mores
Qui circa ripas Tygris, fluuiíque meatus
Oppida magna colunt, & Bactræ, qui procul arcu
Contra hostem celeres docti torquere sagittas,
Plures vxores ducunt, nec coniuge sola
Gaudent, & dulcis veniunt ad gaudia lecti,
Alternántque vices noctis, stimulísque coactæ
Zelotypæ inuidia pereunt, bellúmque lacessunt.
Nil peius zelo mortalia pectora carpit,
Cum tristi miscens fletu suspiria multa,
Et rabiem sæuam miseris mala damna ministrat.
Exitus est illi mortis sæuissima pestis,
Et dulces merulos in tristia funera pellit,
Qui tristes duræ cupiunt fera præmia thedæ,
Cum prædo videat merulum prope saxa profunda
Sæpe volutantem, & pro coniuge multa timentem,
Expediens hamum squillam configit in illo,
Et nexam cubo plumbi submergit in altum
Æquor, & occultis thalamos rimatur in vndis,
Atque agitat circum saxosa cubilia fraudem.
Erumpit merulus thalamis, & carida viuum
Riualem punire ratus, subit impia fata.
Nam prædo fixum mento mucrone corusco
Traxit nitentem contra labíque volentem,
Et carpens tali mouit conuitia voce,

Nunc serua lectos, nunc sint connubia curæ,
Nunc sponsis lætare miser, nunc antra require,
Nunc thalamos, non vna venus, non vna voluptas
Est tibi, sed lectis solus multísque cauernis
Exultas, sed sponse veni, tibi theda parata,
Ignis lucentis splendor, flammæ que corona.
At postquam tali sublatus morte maritus,
Sponsæ palantes fato rapiuntur eodem,
Et galei & catuli pereunt, atque agmina ponti,
Quæ stimulis feriunt, seruant dum pignus amoris,
Auxiliúmque ferunt perituris fœdere certo.
Piscator properat qua cœni est alta vorago,
Et manibus longis hamum demittit in vndas,
Cui super affixus piscis candore nitenti
Extemplo ad catulum furtim mucrone reuulsum
Ardentes currunt socij, nauémque sequuntur,
Agmina tunc figes insana tricuspide telo:
Tunc circunducta retis capientur in aluo.
Non dant terga fugæ, nisi tractum fune sodalem
Cernant, tunc vnà fortes occumbere tentant.
Non aliter mœsti veniunt ad funera patres
Defuncti nuper nati, tactíque dolore
Cum gemitu plangunt pectus, nec busta relinquunt,
Nec tristes proprias cupiunt remeare sub ædes.
Hærent impliciti tumulo, frustráque laborant,
Et cupiunt vnà cum nato claudere vitam:
Sic isti nunquam conuulsum ad funera piscem
Destituunt, donec casu moriantur eodem

Est aliis peregrinus amor, peregrina cupido,
In terram diro siccam rapiuntur asilo,
Polypus, & sargus saxi ferus accola duri,
Externæ gentis sæuo vexantur amore.
Palladiis gaudet ramis felicis oliuæ
Polypus, & glaucis foliis, mirabile dictu,
Corripitur, gliscítque comas, frondésque virentes.
Est totus lætus ramis, & fronde benigna,
Cum iuxta pontum nigris stat splendida baccis
Arbor, & expansis consurgit littore ramis.
Polypus ad frondes trahitur: ceu per iuga montis
Sæpe canes quærunt vestigia tecta ferarum,
Atque feras prendunt dominos ad lustra trahentes:
Sic virides ramos discit frondentis oliuæ
Polypus, & subito salsis emergit ab vndis,
Per terram repit, ramos vbi nactus oliuæ,
Applaudit trunco lætus radice sub ima
Flectitur implicitus, veluti complectitur vlnis
Nutricem nuper venientem paruus alumnus,
Inque sinus primum puerilia brachia iactat,
Atque cupit niueo connectere brachia collo:
Sic est Palladiæ ramis connexus oliuæ
Polypus, & totus lætatur fronde virenti,
Nunc pedibus tentis ramum complectitur illum,
Nunc istum, veluti peregrina ex vrbe reuersus
Collectos vnà dulces offendit amicos,
Extensis manibus cupidè complectitur omnes:
Celsa non aliter obrepunt abiete fontes

Nexæ hederæ,& ſurgunt primum radicibus imis,
Et multis nodis longe lateque per omnes
Tolluntur ramos ad ſumma cacumina tenſæ.
Sic lætus glaucæ ſua brachia nectit oliuæ
Polypus,hunc ſimilem dulci quis dicet amanti.
Poſtquam Palladiis ramis exempta cupido,
Expleuitque animum foliis,ſeu fronde virenti,
Protinus æquoreas obrepit lætus ad vndas.
Talis amor frondis,vel tam furioſa cupido
Hunc capit:& tali piſcator fraude peritus
In medium iactat plumbum,quod fronde reuincit
Palladia,at piſcis ramos non temnit oliui,
Sed ſociam prendit frondem,nec deſerit vnquam,
In nauem tractus rami non vincla relaxat,
Non odit viridem iamiam moriturus oliuam.
Inuadit ſargos caprarum mira cupido,
Qui madidi ſimas cupiunt tractare capellas:
Montanis gregibus,quamuis ſint agmina ponti,
Gaudent,& fœdè rapiuntur amore capellæ.
Prò pudor,an ſperant concordes edere fœtus
Incultos montis colles,pelagique meatus?
Paſtores,claudunt cùm ſera crepuſcula lucem,
Tempore,quo flauas phœbus deſiccat ariſtas,
Ducunt loturas ad littora ſicca capellas:
Poſtquam balatus aut voces littore ſargi
Paſtorum audierint,ſaliunt ex æquore toto,
Sint licet ignaui,properant examine multo
Humida cornigeras gens circunfuſa capellas

Læta salit, lambítque gregem, & blanditur ouanti,
Pastores talem longe admirantur amorem,
Qui primum stupidi cernunt miracula facti.
At lætè accipiunt pisces, spectántque capellæ,
Gaudent dilectas ponti spectare choreas.
Exultant sargi contrà: non est modus vllus
Lætitiæ, teneri non tantum matribus hœdi
Applaudunt stabulis clausi, pastúque regressas
Accipiunt gestu læti, saltúque petulci.
Omnia cùm circùm reboant loca vocibus illis,
Pastores dulces fundunt de pectore risus.
Ac veluti mater natum, coniúxque maritum,
Ire peregrinas longe tristantur in vrbes,
Mœstitiámque alto tristes sub corde recondunt,
Et celsas scandunt speculas, & lumine lustrant
Æquoreas vndas, & fletibus ora relaxant:
Non gressum reuocant, & lumina in æquore figũt:
Sic mœsti sargi lachrymis tristantur obortis,
Cum pastor capras abigit de littore lotas.
Sarge miser subito, ni fallor, dira cupido
Afferet exitium, pastor tibi causa doloris,
In fraudem, & mortem piscator vertet amores.
Piscosas, gemino quæ surgunt vertice, cautes,
Non longe à terra distantes æquore paruo
Coniectat clari fulgentes lumine solis.
His habitant sargi scopulis, hæc saxa frequentant,
Nam solis gaudent radiis & luce nitenti.
Ast olidæ prædo tectus sub tegmine capræ

Temporibus summis duo cornua longa coaptat,
Et pastorales meditatur pectore fraudes.
Viscere caprino simul & nidore farinam
Commistam tumidas ponti demittit in vndas.
Gratus odor, pastor gratus, simulata capella
Istos decipiunt, nec fraudes mente dolosas
Cernunt, sed læti gaudent, lambúntque capellæ
Hostem consimilem, sed mox non mitia corda
Inuenient miseri sargi sub pelle caprina.
Tunc cito pestiferum socium sub tegmine noscunt,
Cornea cum niueo tendens hastilia lino
Infigit carnes hamo, quas vngula capræ
Innatas retinet, carpunt obiecta repente
Pabula: piscator retro sua brachia curuans
Attollit sargum. si quis præsenserit artem,
Villosas alij capras, odióque sequuntur
Pastorem, simulachra, cibos, & pascua cautis.
Si sint abstrusæ fraudes, tollántque laborem,
Arte velox omnes capræ sub imagine fallet.
Rursus amor sargos carpit sub tempore verno,
Pro thedis simul & chara pro coniuge certant.
Decernunt dira miseri connubia pugna.
At si quis tanto fuerit certamine victor,
Coniugibus cunctis vir tantum sufficit vnus
Fœmineos cœtus claudens sub caute marina.
Hic piscatores fundo, cielóque capacem
Occultant nassam, contextam vimine denso,
Et stipant fauces myrto, lauróque virenti,

Frondibus aut aliis, quas circum ſepta renectunt.
In bellum ſponſos cum dirum pellit oëſtrum,
Pugnatur, thedas inter fera ſurgit enyo,
Victoris nutu ſponſas parêre neceſſe eſt.
Qui curuam quærens petram, tectoria nymphis
Offendit naſſam ramis & fronde latentem,
Huc nymphas pellit, ſubeunt hæc ſepta profunda.
Hic alios arcet ſargos, caueáque repellit.
Sed cum plena choro nympharum naſſa profunda,
Vltimus ingreditur caueæ irremeabile ſeptum.
Ac veluti opilio paſtas in ouilia ducit
Lanigeras pecudes, & portæ in limine greſſum
Siſtit, & intrantes luſtrat, numerúmque recenſet,
Si cunctę incolumes redeant: ſed iam grege clauſo
Stipatur plenum ſtabulum, ſubit vltimus ipſe:
Sic prior ingreditur ſponſarum in vimina cœtus,
Poſtremo ſargus textum ſe mittit in antrum,
Et miſeras nymphas miſero ſociatur amore.
Talia belligeri miſcent certamina piſces,
Atque cupidineo pereunt in fraude furore,
Si qua per æquoreos videant agitata tumores
Fragmenta hippuri quærunt, & ponè ſequuntur
Præcipue nauem diſruptam turbine venti
Neptuni fluctus ſcindentem numine læuo,
Atque fluitantem diffutis vndique lignis
Hippuri fractis hærent, ludúntque tabellis.
Obuia ſi veniant piſcanti concita ligna,
Venatu facili prædam captabit opimam.

Auertant talem Neptuni numina pestem
Nauibus,& ventis sinuentur vela secundis,
Atque onus alterno portent,reuehántque labore,
Immotæ illæsæ subeant vada cæca carinæ.
Hippuros alio liceat molimine prædæ
Fallere:securæ currant super æquora naues,
Densa compactum subnectat arundine fascem,
Et fluctu in medio ponat,subtérque molarem
Vinciat,aggestas quatiat qui pondere cannas.
Hippuron gentes vmbra lætantur opaca,
Et circum calamos currunt examine multo,
Exultant,ludunt,cannæ sub fasce residunt.
Tunc prædam piscator obit,tunc æra recurua
Deiicit in pontum,pisces in fata ruentes
Certatim arripiunt hamum,fixíque trahuntur.
Sic ad bella canes irritat viscere iacto,
In medium quisquam furiunt pro ventre voraces,
Præcurrunt rabie multa,dextrámque retentant
Iactantis,rixæ fiunt vbi viscera iactat:
Dentibus infrendunt,& morsibus ora dehiscunt:
Sic isti in fraudes incurrunt vertice prompti,
Post alios alios prædo mora nulla reuellit.
Ad mortem temerè properãt,hamúmque sequũtur.
Tali stultitia,talíque cupidine captus
Vmbræ sub Stygias descendit pompilus vmbras.
Piscator virgam contorto fune globatam
Præparat,innumeros infigens desuper hamos
Piscibus exitium forti mucrone propinquos,

In quibus infigit fallacis iulidis escam,
Et resupinatos sub lymphis occulit hamos.
Furtiuam mediis fraudem suspendit in vndis.
Cum videat fixam lolligo irrumpit in escam,
Dúmque premit fusum se circum fila volutans
Cuspide confossus, quo se conuellere frustrà
Nititur, & luctans contra sua terga reuoluit.
Atque puer ludens vasti prope littora ponti
Decipit anguillas, longa intestina sub vndas
Coniiciens, hami setis æquata videres.
Vt videt, vtque ruit, longa intestina petentem
Arripit, atque cito sensit tumefacta perire.
Nanque puer sufflans anima intestina repleuit,
Et subito ventus densus percurrit in ora
Anguillę, & pueri flatu tumefacta laborat,
Et vento arctatur, frustráque euadere tentat.
Inflatam penitus & toto pectore anhelam
Spiritus educit pueri ludentis in altum.
Non aliter certat cratere educere pleno,
Cum calamo vinum si quis trahat ore tumenti,
Nanque trahit flatu vinum, sequitúrque repente
Per calamum Bacchus currens ad labra bibentis:
Sic tumidę anguillę sufflantis ab ore trahuntur.
Roboris est expers genus imbecille natantum.
Hos densos cœtus aphyas dixere priores:
Engraules etiam perhibent hos nomine dictas,
Piscibus expositę cunctis gratisima pręda.
Et dant terga fugę, semper formidine viuunt

Innata,atque vno circùm glomerantur aceruo.
Innexæque manet,magnum cumulantur in orbem,
Inuiti tanquam patiantur vincula nodi.
Non posses stricti iuncturam noscere nodi,
Non aliqua ratione queas dissoluere vincla.
Sæpe globus naues sistit,cursúmque moratur,
Sæpe ratem pulsam remis vi sistit euntem,
Illisi remi veluti sub caute tenentur.
Atque aliquis validam tollens in terga bipennem
Percussit nodum,nec densam scindere turmam
Eualuit,paruísque gregis iam parte resecta,
Hęc capite,hęc cauda,medio truncabitur illa,
Ast aliam totam populabit magna securis.
Defunctis similes multæ,miserabile visu,
Conscia plagarum nodi non vincula dura
Agmina dissoluunt tali compage reuincta.
Piscibus occurrens aliquis congessit in vnum
Palmis,vt flauæ montem cumularet arenæ.
Implicitos postquam cuneos è littore cernunt,
Prędones raro circundant agmina lino,
Atque trahunt vinctos ad littora tuta natantes.
Innumeræ prędæ magni cumulantur aceruì.
Ac veluti messor culmos,stipulásque volantes
Ventilat,& pala iactat frumenta bicorni:
In medio cereris magnos componit aceruos
Area tot cumulis apparet candida visu:
Piscibus innumeris canent sic littora ponti,
Pelamydum gentes Euxini marmore lato

Nascuntur fœtus thynnorum tempore verno,
Quos partus duros thynni super hostia lata
Qua pontus miscet fluctus Mçotide fusca
Collecti pariunt calamis, partúque soluto,
Oua vorant subito, & lacerant sub dentibus atris
Quæcunque inueniunt, calami iuncíque marini
Multa occulta tegunt, hęc lęti tempore veris
Pelamydes gignunt, quę primo frigore brumę
Incipiunt tentare vias peregrina petentes
Æquora, non fluctu paruę versantur eodem,
Quo genitę, externos cupiunt tranare meatus
Æquoreos inter tractus Neptunia regna.
Non perhibent alium fundo maiore putari
Threicio, hinc nigrum dicunt, nec flamine venti
Hoc mare conturbant, nec voluunt turbine sęuo
Hîc altę cautes, hîc cœni vasta vorago,
Hîc quicunque cibi paruorum turba natantum
Pascunt, huc properat nuper generata caterua
Pelamydes, horrent gelidę mala frigora brumę,
Quę faciunt hebetes oculos, & lumina lędunt.
Hos nactę tractus crescunt, placidísque morantur
Fluctibus, & lęti veniunt vbi tempora veris:
Istas tangit amor lecti, fœtúque repletę
Quam celeres primas subito gradiuntur ad vndas,
Et soluunt fœtus pondus miserabile ventris,
Tunc diri Thraces sęuo certamine prędam
Cędibus horrendam, & fatali marte cruentam
Multisoni faciunt tranantes ęquora ponti.

Eſt non longa abies,ſed magna mole grauata
Nec cubitum excedit,quā plumbea vertice ſummo
Pondera circundant,& acuti robora ferri.
Sunt inflexa ſupra,telóque tricuſpide multæ
Sunt infixæ acies,ſunt nexi robora circum,
Intorti funes,contis tolluntur in altum
Robora,& in magnū iaciunt quaſſata profundum.
Quæ ſubito caſu,& plumbo ferróque premuntur,
Et lapſa in præceps hærent radicibus imis,
Quot miſeras prendunt vaſta ſub mole grauatas,
Tot miſeræ ſæui penetrantur acumine ferri.
Pelamydas ſi quis audaci pectore cernat,
Et dolet,& ſortem ſecum miſeratur iniquam.
Iſti letiferum penetrauit in ilia ferrum,
Hæc capite attrita eſt,aliæ letale ſuprema
Sub cauda accipiunt telum,ſed tergora multis
Delapſum abſcidit robur,ſub ventre doloſas
Oſtendunt acies multæ,pars altera fixo
Eſt vtero,atque alto telum ſub pectore condit.
Nauali veluti miſcent cùm bella tumultu,
Poſt pugnam ſocij reſperſa cadauera tabo,
Inque pyram flentes ponunt,& vulnera multa,
Et variæ apparent plagæ,tetríque cruores:
Talia pelamydes oſtendunt vulnera preſſæ.
Piſcanti martis læta hæc ſimulachra videntur.
Turmis pelamydum paruis tenuiſsima lina
Tendunt per pontum vaſtum,cùm turbida lympha
Exagitata facit tenebras,caligine cæca,

Perculſas

Perculsas capiunt.nam retia rara per orbem
Lino circundant tenui,& maris æquora verrunt.
Et contis quatiunt vndas,strepitúmque refundunt.
Pelamydes sonitu pauidæ,subitóque tumultu
Concussæ celeres ad pendula retia currunt,
Immotæq; manent veluti sub tuta receptæ,
Dum vitant strepitum,fato rapiuntur iniquo,
His retis tentos verrunt ad littora funes.
Hæ cernunt longas casses,spirásque moueri,
Occultę pauitántque.globum coguntur in vnum:
Piscator rogitat diuos,ne saltet in æquor
Vnica,ne quicquam moueatur retibus amplis.
Si sola aufugiat,reliquæ labuntur in altum,
Atque fugam arripiunt,& retia vana relinquunt.
Si fuerint vasti præsentia numina ponti,
Sæpe etiam pisces ad littora sicca trahuntur,
Impliciti maculis pauidi non retia linquunt.
Ac veluti doctus cursus agitare ferarum,
Arripit imbelles ceruos in saltibus actos:
Nam totam syluam contorto fune coronat,
Quo volucrum connectit alas,formidine vana
Cerui prospectant pennas,& cominus ire
Non audent stupidi,donec venator in illos
Irruit,atque capit,præda ditatus agresti.
Piscandi doctus quidam pontóque peritus
In fluctu palmis prendit non arte natantes,
Per madidos fluctus,veluti per littora sicca,
Obrepunt pauidi sargi,timidæque sciænæ,

Secessu ponti sargi fluctúque recondunt
Se timidi,& salsis se complectuntur in vndis,
Et spinis veluti palis horrentia terga
Obliqui occultant,spinis vallóque teguntur.
Et veluti agricolæ circum vineta coaptant
Sepes,& claudunt aditus,ne peruia furi
Vinea,sed vallo seruetur tuta profundo:
Sic nullus sargis hærebit pectore prompto,
Nec dextram iniiciet,rigeant cum tergora densis
Sentibus,& totus valido mucrone tegatur.
Ast aliquis cautus vastum se mergit in æquor,
Et caput,& caudam sargi speculatur,& in quas
Partes deuergat prompto sub pectore voluit:
In caput immittens dextram sub vertice,sargum
Comprendit,stringítque manu,spinásque tremēdas
Vitans,implicitus piscis firmúsque resistit.
Nam forti tantum spinæ sub robore fidit:
Piscator palmis disiungens pronus vtrisque
Astutum nauauit opus,piscémque repressit.
Aspera sed postquam pauido sub corde sciæna
Horrorem sentit,subit in spelæa recurua.
Vel quærit lustrum,vel molles currit ad herbas,
Ponti vel viles lymphæ se claudit in algas.
Contemnit totum latebris abscondere corpus,
Et caput atque oculos aliquo sub tegmine claudens,
Quàm stulte credit sic cætera membra latere.
Non aliter sylua in densa caput occulit atra
Bubalis immanem cernens à fronte leonem,

Quadrupedi insipidæ demens custodia curæ.
Nam capite occulto sperat non posse videri,
A diro donec lanietur dente leonis.
Vt pecus alatum Libyæ quod colla repanda
In longum porrecta mouet, sub pectore vanos
Astus molitur, vanáque eluditur arte:
Sic spe frustratur piscis. nam raptor ab alto
Emergit, piscémque cauis ex æquore palmis
Attrahit, & cunctis fraudes ostentat inanes.

Tot varias artes, madidis tot piscibus astus
Norunt mortales, & tot meditantur in vndis
Exitium: reliqui fato moriuntur eodem,
Retibus, & nassis, hamo, iactúque tridentis.
His capiunt armis pisces, hoc robore perdunt.
Cum Phœbus cœlo meta distabit vtraque,
Vel caput occiduus pronus cum mergit in vndis,
Tum domitant pisces, vel primo tempore noctis
Accensa impellunt theda per marmora cymbam,
Occulto perimunt fato sub nocte quietos
Pisces, qui flamma læti vel lumine claro,
Dum circa cymbam collecta examina lumen
Exitiale vident, pereunt mucrone tridentis.

Quinetiam sæuam meditantur piscibus artem,
Atque parant diram properãtia pharmaca mortem,
Et denso iaculo remis, contóque natantum
Horridulas cogunt acies in concaua ponti
Saxa, vel vndisoni subter spelæa profundi,
Expandúntque sinus, & ducunt retia circum,

Vtque hoſtes duplici circundant vndique muro
Atque duos miſcent panes radice ſubacta,
Quam cyclaminon nuncupant,candore peruncta
Et pingui:piſces vaſtum labuntur in æquor:
Retia proſiliunt,curuos male olentia circum
Pharmaca colliniunt ſcopulos,temerántque latebras,
Et maculant fluctu,& poſt ad littora curſum
Cum cymba reuocant,latebras diſperſa per omnes
Pharmaca mortiferas diffundunt longius auras,
Et caput atque oculi caligant,membra venenis
Nutant,hi ſcopulis duris latebríſque pauentes
Proſiliunt,infecta magis ſunt æquora lata,
Pharmacon æquoreas late penetrauit in vndas.
Hi veluti vino preſsi vincuntur odore,
Vndique perquirunt,partes voluuntur in omnes,
Nec locus eſt expers peſtis,pars nulla profundi
Labe caret,fœdum properant vitare periclum,
In laqueos currunt:non eſt medicina ſalutis
Non medicina mali,motis agitantur ab vndis.
Et crebro ſaltu quatiuntur marmore piſces,
Dum pereunt flatu,compellunt æquoris vndas:
Hoc illis etiam ſæuos ſub corde dolores
Excitat:at læti piſcantes littore ſicco
Immunes peſtis rident mala fata natantum:
Expectant,donec tanto ſedata tumultu
Æquora,tam fœdo late purgentur odore.
Tum ſæua educunt lætata examina peſte.
Ac veluti hoſtilem ſperant qui à mœnibus vrbem

Omnibus inſidiis euertere, nulla relinquunt
Conſilia, atque alias aſtu vertuntur ad artes:
Inficiunt vndas illi intra mœnia celſa,
Abſumpti tolerāt bellum, morbúmque, famémque:
Infectis pereunt indigno funere lymphis,
Atque replent vrbem defuncta cadauera totam:
Sic morte immerita, & parca rapiuntur iniqua
Piſces letiferis compulſi in fata venenis.

OPPIANI DE PISCIBVS LIB. V.

HINC tibi noſſe licet, terræ fortiſsime princeps,
Quòd nihil humana intactum ſolertia linquit,
Nec ponto obſcuro, nec ſub tellure parente.
Certe aliquis mortale genus ſub imagine diuûm,
Siue adeo Iapeti proles aſtuta Prometheus
Humanas finxit gentes ſimulachra deorum,
Commiſcens terram lymphis, & corda perunxit
Plaſmate diuino: ſeu diro ſanguine creti
Titanum: noſtrum genus eſt à numine diuûm:
Paremus tantum ſuperis: inuicta ferarum
Agmina proſternunt homines, qui corpore paruo,
Quot volucres cœlum curſu vel nubila findunt,
Tot capiunt. dirum non vis immenſa leonem

Seruat,nec ſtrepitus concuſsis liberat alis
Armigeram volucrem magni Iouis,& fera nigra
India quam gignit procero corpore vaſtam
Imperium patitur,mulorum more coacta
Ferre iugum,& plauſtri duros perferre labores:
Et quæcunque tenent vndas immania cete,
Viribus interimit.nam monſtra horrenda natātum,
Et maiora ferunt vndis Neptunia regna,
Quàm quæ gignuntur in terris monſtra ferarum.
Teſtudo in terra eſt,ſed longe viribus impar,
Et longe inferior dira teſtudine ponti.
Sunt ſicca tellure canes horrore timendi,
Sed nequeunt rabie canibus certare marinis.
Exitiale facit vulnus panthera tremendis
Dentibus in terra,fluctu magis aſpera ponti.
Et nimis horrendæ terra verſantur hyænæ,
Sed multo præſtant crudeli horrore marinæ.
Eſt aries terræ mitis,natat æquore vaſto
Mitior,vt nequeas hunc aſsimilare priori.
Ecquis vaſtus aper ſuperabit robore lamnam?
Qui tantum fului præſtant virtute leones,
Quantum ſub fluctu fertur præſtare zygæna?
Formidant phocas vrſi certamine toruas,
Congreſsi phocis domitantur marte proterue.
Talia ſub ponto gignuntur monſtra ferarum:
His tamen exitium tumidis meditatur in vndis
Piſcantum imbecille genus,domitántque natantes.
Iſtorum prædam,& duros cantare labores

Fert animus, mentem nostris aduertite musis
Induperatores placidi, pia robora terræ.
Plurima cœruleo sunt cete ingentia ponto,
Quæ vastis membris immensa mole mouentur,
Nec ponti emergunt fluctu, sed pondere pressa,
Et nimia grauitate colunt spelæa profunda.
Esuriunt, rabiémque ferunt in pectore edendi
Indomitam, ventris semper trahit alta vorago.
Quæ mensura cibi, quæ posset copia tanta
Exaturare chaos ventris, vel ora replere?
Alterna pereunt per mutua vulnera morte.
Maiora interimunt semper virtute minora:
Inter se pastus, & ventris grata voluptas.
Formidant etiam naues, quando obuia cernunt
Talia monstra maris, sulcantes marmor Iberum
Fluctibus hesperiis. vbi sunt confinia magni
Oceani, fluctu deserta ingentia cete
Voluuntur pigre perituris nauibus æqua.
Sæpe alta errando veniunt prope littora ponti:
Hic contra expediunt piscantes arma corusca,
Omnia monstra maris, quæ vasta mole mouentur,
Sunt tarda incessu, & nimia grauitate premuntur,
Posthabitis canibus, non longe immania cete
Cernunt, nec salsas percurrunt æquoris vndas:
Pondere magnorum membrorum tarda feruntur,
Et lente æquoreo circumuoluuntur in æstu.
Hac ratione comes cunctis, ductórque viarum
Musculus est paruus visu, sed corpore longo,

Et tenui cauda paulo ſemotus ab illo
Præcedit, monſtrátque viam, ducítque per æquor:
Hinc piſcem vero ductorem nomine dicunt:
Hic comes eſt monſtro gratus, cuſtóſque fidelis.
Qua velit hunc ſequitur, ſolo confidit in iſto,
Huic fidam ſeruat mentem, propè porrigit artus
Longos, & caudam facilem propè lumina ducit,
Qua cuncta oſtendit, fuerit ſi præda petenda,
Siue malum immineat, ſeu ſint vitanda propinqua
Huic vada, commota demonſtrat ſingula cauda.
Ac moles oneroſa maris præcepta capeſsit,
Et multum ſocio gaudet comitata benigno:
Muſculus eſt cuſtos, auris, luménque natantis
Monſtri, quo cernit lymphas, quo cuncta tuetur,
Vtque tueatur vitam, ſibi ponit habenas.
Ac veluti natus confecto ætate parenti
Debitor officij iam præmia iuſta rependit,
Debilibus membris, caligantémque ſenectam
Luminibus ſeruans, dextram prætendit eunti,
Et mouet à cano cuncta impedimenta parente:
Sic noua longæui patris ſunt robora nati:
Sic piſcis pelagi monſtrum deducit amore,
Et veluti clauus tentis moderatur habenis
A ventis nauem magnam, ducítque per æquor.
Nunquid principio generis ſunt ſanguine eodem
Creti, vel ſocium delegit ſponte fidelem?
Non tantum vaſtæ procero in corpore vires,
Ingenium quantum proſunt: hic roboris expers

Immenſum

Immenſum ſeruat monſtrum, vel mittit in orcum:
Paruus homo atque vafer, poſtquã ſunt põdere tãto
Cete, ductorem piſcem compellit in hamum
Artibus allectum variis, & fraude reuinctum.
Non ponti monſtrum viuo rectore domares:
Hoc interfecto, caperes certamine paruo.
Non videt obſcuras vndas, pontíque meatus,
Obuia non ponti valet euitare pericla,
Exors conſilij, nullo ductore per vndas,
Quò ducunt fluctus, caligine fertur opaca,
Obſcuros penetrans tractus, atque auia ponti.
Nam duce priuatus ſcopulos, & littora præceps
Offendit, tanta caligant lumina nocte.
Tunc animis properant piſcantum robora promptis
Ad prædam, & diuos votis precibúſque fatigant,
Qui præſunt magnis cetis, vt ſternere monſtrum
Neptuni valeant, & prædam ducere opimam.
Ac veluti inſidiæ media ſub nocte propinquant
Hoſtibus occultò, & curis ſomnóque ſolutas
Excubias arcis nactæ ſub marte quieto,
Cędunt, & ſternunt cuſtodum corpora paſsim:
Hinc propere euadunt ſumma ad faſtigia muri,
Audacéſque locant flammas in arce micantes,
Vrbis caſuræ ſignum, torrémque ferentes,
Qui ſit robuſtus iam prenſæ malleus arcis:
Sic tunc piſcator fortes validáſque cohortes
Educit contra monſtrum cuſtode necato.
Primo coniectant pondus, molémque natantis,
Piſcis membrorum ſunt hæc tibi ſigna futura:

Si fera Neptuni iactetur vertice ponti,
Et paulo emineat spina, vel vertice summo,
Immensum vasto non ferrent corpore monstrum
Æquora: si dorso summa supereminet vnda,
Tunc non tam magnæ designat pondera molis.
Imbecille pecus gressu leuiore mouetur.
Linea multiplici texatur fune reuincta,
Et bene compactis nodis adstricta ligetur,
Se tanta extendens quanta sub naue rudentes,
Quæ non parua nimis, nec possit magna videri,
Sufficiat prædæ in longum porrecta superbæ,
Qui stent alterni mucrones cote politi,
Qui possint scopulos, qui possint findere rupes.
Curuatura doli se circunducat vtrinque,
Obstruat vt vasti spatiosos oris hiatus.
Ferrea per multos orbes connexa cathena
Extremum nodis multis deuinciat hamum,
Et quæ pestiferos dentes, rictúsque repellat.
Et nodo in medio circli ducantur in orbem
Inter se densi, qui vasta volumina monstri,
Et spiras vertant rapidas, vt corpore tanto
Erectum, nequeat curuatum rumpere ferrum,
Fœda cruentato conquassans ora dolore:
Sed texto implicitum laqueo teneatur vtrinque.
Pòst tristes curuis escas defigat in hamis,
Vt iecur aut humerum taurinum, pondere tanto,
Rictibus æqualis monstri qui possit haberi.
Piscantes acuunt fortes in bella secures,
Harpas, & gladios magnos, validásque triænas,

Et quæ conflantur duris incudibus arma:
Et cymbã ascendunt, cui sint pulchro ordine trãstra,
Si quid opus, nutu designant cuncta loquaci,
Et taciti motu verrunt lata æquora paruo.
Obseruant posita taciturna silentia lingua,
Et vitant strepitus. nam si præsenserit artem
Hanc moles onerosa maris descendit in imas
Vndas, hi vanos frustra subiere labores.
Cum prope commiscent diri certamina martis,
A prora audaces demittunt æra recurua
In pecus immensum pelagi, quod saltat ad escas
Quamprimum visas, & ventri paret auaro.
Irrumpens fatale malum deprendit in hamo,
Cuius mucrones figuntur gutture lato.
Vulnere terribiles exardet pronus in iras,
Et quassat rictus contra indignatus acerbos,
Et furit, atque gemit versans sub corde furores
Ardentes, pelagi fundum se voluit in imum,
Huic piscatores cedunt, funésque remittunt.
Non vires hominis tantam conuellere molem,
Et domitare feram inuictam, contráque trahentem.
Ingens immensa traheret cum remige nauem
Exagitata fera, & fundo demergeret alto.
Funibus annectunt vtres, ventóque repletos,
Atque feram versus iaciunt in marmoris vndas.
Illa dolore plagæ confecta irrumpit in vtres,
Inuitósque trahit cupientes æquora summa.
Postquam animo fessa est, fundum peruenit in imũ:
Stat fera terribilis fluctu, succensa furore.

Et velut acer equus cursu,summásque labore
Qui nactus metas duris terit ora lupatis,
Sanguinea fusus spuma,& defessus anhelat:
Sic fera respirat.cupientem stare sub vndis
Hi non permittunt vtres,ex æquore summo
Sese tollentes tumefacti flamine multo.
Tunc aliæ surgunt pugnæ,rictúque minaci
Incassum rapitur rursus,pellésque trahentes
Oppugnare cupit,quæ emergunt æquore summo
Viuis asimiles:hæc indignata sub vndas
Fertur,& in multos conuertit corpora flexus.
Hi refluè currunt tracti,paritérque trahuntur
Et nunc inuitè rapti,nunc spontè trahuntur.
Et veluti tracta findentes robora serra,
Ambo communi distendunt membra labore,
Et serra nauis properant absoluere transtra,
Vel,si quid nautis opus est,contendit vterque
Dentatum duri robur conuellere ferri:
Densati nunquam mutant vestigia dentes,
Atque secant sonitu celeres,refluíque trahuntur:
Talia commiscet ponto certamina piscis,
Pellibus inflatis in partes raptus vtrasque,
Sanguineam eiectat sufflans super æquora sordem,
Atque dolore furens per pontum spirat anhelis
Flatibus,& tanto reboat sub flamine pontus,
Collisæque fremunt vndæ,furit æstus in altum,
Difficilem dicas boream stabulare sub vndis.
Sic moles furiosa maris per fluctus anhelat,
Sic densæ circum spiræ sub vertice vasto

Vndas incurrunt altas,ſcindúntque meatus.
Ac velut Ionij circum parua hoſtia ponti
Tyrrheno reſonante freto media aſpera porthmi,
Voluitur à flatu rupes typhonis anheli,
Flexibus immenſis vnda exagitata tumeſcit,
Et nigra vorticibus refluit diſtracta charybdis:
Sic monſtri flatu conuoluitur Amphitrite.
Sciſsi tolluntur multo curuamine fluctus.
Tunc aliquis curuam compellit remige cymbam
Ocyus in terram veniens,atque æris adunci
Funem littoreo vincit propè marmora ſaxo,
Tanquam ſi funem nauis ſub caute renectat,
Et ſubito æquoreas verſus gradiatur ad vndas.
Cum iam plectendis monſtri ſatiata cupido
Pellibus,& finem voluendi terga labore
Oppreſſus dederit,corda irritata quierint,
Et iactet tumidas fatalia pondera pelles,
Nuncius at palmæ primus mare proſilit vter
Piſcantum tollens animos in munera prædæ.
Præconem veluti triſti de marte regreſſum
Veſtibus indutum niueis,faciéque ſerena
Iucundi ſocij non mœſta fronte ſequuntur,
Nunciáque expectant geſti præconia belli:
Sic piſcatores læti cum nuncius vter
Confeſtim ex imo fluitat ſuper æquora fundo,
Atque alij emergunt ponto,qui immania monſtri
Terga trahunt,magno rapitur conſumpta dolore
Bellua,quæ miſerum torquetur vulnere ſæuo.
Tunc piſcatores audaci pectore naues

Remis impellunt,fit multus in æquore fragor,
Et multus flatus tanta properante caterua,
Quæ ſeſe magno clamore in bella ciebant.
Dicas horrendi martis ſpectare cohortem.
Eſt tantus ſtrepitus,& pugnæ tanta cupido.
Clangorem exaudit longe de valle recurua
Paſtor villoſas ducens ad paſcua capras,
Vel qui ferales abſcindit robora pinus,
Vel qui magnarum proſternit terga ferarum,
Attonitus lati venit propè littora ponti,
Et ſtans in ſcopulo turbato prælia fluctu,
Et finem tantæ pugnæ,magnúmque laborem
Miratur,rapidus mouet hæc certamina Mauors.
Hic validis palmis forti mucrone tridentem
Concutit,iſte tenet forti venabula ferro,
Hic curuam falcem,rapidam vehit ille bipennem:
Omnibus eſt armata manus,ferróque ruentes
Cædunt,impellúntque feram,vel vulnera figunt.
Roboris oblitus cymbas in terga ruentes
Euitare nequit piſcis,nec pellere iactu
Alarum,extremo fluctus molimine findit,
Remigium,validas puppes,robúrque virorum
Impellit:velut aduerſus cum flamina ventus
In proram vertens aduerſas concitat vndas,
Atque in nauali reboat clamore,lacertis
Dum remos quatiunt,& tanto marte laborant,
Diſtillant multo fatalia vulnera tabo,
Et fœdant ſanie fluctus:aqua ſanguine feruet
Effuſo,& glauci late rubet æquoris vnda.

Ac veluti torrens brumalis lapſus in aluum
Fluminis vndoſum, rubro de vertice montis
Sanguineum rapido cœnum conuoluitur æſtu
Fluctibus admiſtum, late rubet æquoris vnda
Puluere ſub flauo, ſanies velut æquore lato
Apparet, rubro ſic miſta eſt vnda fluore,
Confecto telis, & multo vulnere monſtro,
Sentinæ eiiciunt fluctum conamine magno
Letalem, & vaſti iaciunt in vulnera ceti,
Qui veluti plagas ignis ſuccendit hiantes,
Et ſicut ætheriis vibratus nubibus ignis
A Ioue cœleſti cedit per marmora euntem.
Hunc miſsi abſumunt ignes, multo magis vnda
Æquoris exagitat flammis admiſta coruſcis:
Sic in difficiles plagas, & vulnera hiulca
Sentina exhauſti fluctus iaciuntur olentes,
Cum domitum plagis piſcem, victúmque dolore
Veſtibulum ante ipſum, primóque in limine mortis
Fata maligna ferunt, tunc ſicca ad littora læti
Deuictum voluunt, trahitur, miſerabile viſu,
Inuitus multo corpus mucrone foratus,
Letali nutans fato ſub fine grauatus.
Victores læti remis pæana canentes
Feſtinant, reſonat compulſo remige pontus,
Ac veluti quondam nauali marte dirempto
Extemplo naues iunctas, hoſtéſque trahentes
Subducunt celeres cantantes munera belli,
Remigiúmque mouent lætum pæana canentes,
Victoréſque ferunt dulces ad ſydera cantus,

Inuiti tristes capti sub marte trahuntur:
Sic vastũ atque immane trahunt ad littora monstrũ:
Quod cum littoribus curuis,terræque propinquat,
Supremæ infelix occludit lumina vitæ
Atque reluctatur, & fluctus verberat alis,
Et veluti volucris,structa collidit in ara,
Cum moritura nigræ capitur vertigine mortis.
Quam cupit ęquoreas mõstrum remeare sub vndas,
Robore iam languens,& membra soluta retentans
Diffidit,trahitur grauiter per littus anhelans.
Ac veluti nauem,cui sunt longo ordine transtra,
Subducunt nautæ, quando instãt tempora hyberna,
Posteaquam tristi pelagi sudore refecti
Rursus opus ponti repetunt,durósque labores:
Sic monstrum immensis ducũt ad littora membris,
Quod toto vastos in littore porrigit artus,
Horrendum visu,quantum tellure recumbens
Occupat:hoc aliquis misera iam morte peremptum,
Et terræ statum timet, & propè ducere gressum
Formidat,tanto cernens horrore cadauer,
Quamuis defunctum,quamuis sit lumine cassum:
Horribilis malę dentes formidat acutos.
Vix ausi tandem circunducuntur in orbem.
Attoniti spectant proiecta cadauera monstri.
Illi admirantur rictu triplici ordine natos
Terribiles,flexos sicuti venabula dentes.
Ast alij fortis prospectant vulnera ferri,
Hic spinam proræ similem miratur aduncam,
Quæ vallo arrigitur longe per terga tremendo:
Nonnulli

Nonnulli caudam ſpectant, ventrémque capacem:
Hi caput immenſum perluſtrant lumine toruo,
Atque aliquis cernens horrendo corpore mōſtrum
Neptuni, ſicca multo tellure videtur
Maius, quàm tumidis cum verſabatur in vndis,
Cunctatus paulo, ſic eſt affatus amicos
Haud procul adſtantes, & voce ſilentia rupit,
Alma parens tellus, ego ſum tibi charus alumnus,
Per te ſum genitus, mihi grata alimenta dediſti,
Atque perire tuo gremio, cum venerit hora
Fatalis liceat: ponti mihi mitia ſunto
Æquora, & à ſicca liceat tellure litare
Neptuno, nec me ſalſas tam parua per vndas
Ligna ferant: nunquam ventos & nubila cœli
Explorare velim. non ſunt ſatis æquoris vndæ,
Difficiléſque maris curſus, duríque labores,
Semper & horriſonas ventorum audire procellas:
Horrendas etiam metuunt intrare latebras,
In vaſtos metuunt monſtri deſcendere hiatus,
Vt non compoſito condantur membra ſepulchro:
Congeriémque mali timeo, tellure quieſcam,
Et valeant ſæui fluctus, procul æquoris vnda
Sit placata mihi, faueant pia numina ponti.
Talia conficiunt ingentia monſtra labore,
Quæ vaſtos tendunt ſalſis ſub fluctibus artus,
Et præſtant aliis oneroſo corpore monſtris.
Haud labor eſt tantus, capiuntur ſi qua minora
In ſalſis cete lymphis: æquata parantur
Spicula pontigenum membris, hamíque minores,

Quos non tam magno pastu, nec fune reducunt.
Nam pro distentis coriis, & pelle caprina
Sufficiet lato siccata cucurbita ventre,
Et trahet è ponto non magno corpore piscem.
Et lamnæ, & catuli piscantibus æquore vasto
Occurrunt, rabiéque trahunt firmissima vincla
Remorum in fluctus, sed multo lamna furore
Rictibus irrumpens magno cum robore fertur:
At prensi in circo dentes retinentur adunci
Infixi tanquam nodis mucrone tridentis.
Haud magno lamnam poteris mactare labore.
Gens furibunda canum inter male olentia cete
Præcipue furiunt in ventrem gutture proni,
Iniuriam faciunt elata mente proterui,
Et nil formidant, veniant si qua obuia contra,
Sed rabiem sub corde ferunt, positóque pudore
Impellunt rapidi gripos, nassísque propinquant,
Perturbant prædam piscantum, séque saginant.
Hos aliquis pisces auido sic ventre voraces
In facilem rapiens prædam forat ære recuruo.
Non hami penetrant phocas, sæuíque tridentes.
Nam duro claudunt pellis sub tegmine membra.
Sic pisces inter nodosa in retia phocas
Prædones claudunt, celeres ad littora verrunt
Distinctos maculis laqueos: non retia densa
Hos arcere queunt, discerpunt vnguibus atris
Retia, & auxilium perituris piscibus adsunt.
Piscantes multo turbati corda dolore
In terram phocas compellunt impete vasto.

Hic hastam,& fortem clauam, validúmque tridentē
In caput incutiunt,& circum tempora pulsant.
Nam subita pereunt capitis per vulnera morte.
Quin & testudo piscantibus obuia damnum
Afferet, optatæ perturbans munera prædæ.
Haud labor audaci posito post terga timore
Surripere è ponto duro sub cortice tectam.
Si quis se mergat lymphis, vertátque supinam,
Et quamuis cupiat fatum vitare supremum,
Non valet,& summo leuiter luctatur in æstu,
Atque inuersa supra pedibus desyderat vndas.
Prædones rident, cum mactant cuspide versam,
Vel quandò euellunt torto sub fune reuinctam.
Et veluti insulsus errans in montibus altis
Fortè puer, terræ curua testudine capta
Ponit humi inuersam maculosa in terga iacentem:
Hæc reuoluta cubans terram calcare virentem
Affectat, leuitérque pedes,& genua laborę
Curua mouet, crebróque salit, ridéntque videntes:
Sic lato fertur ponto testudo marina,
Et resupinatum voluit super æquora tergum,
Et curuum lædunt piscantes per freta monstrum.
In siccam arripitur terram, cum terga perustam
A solis radiis versant, voluúntque per æstus
Inualidam summas pedibus contingere lymphas
Optantem,& frustra fluitantem marmore vasto.
Delphinum infelix fugienda est æquore præda.
Nam qui delphinis sacris meditabitur atrum
Exitium, non ille deis per sacra litabit,

Non aræ acceptus puros imponet honores.
Totum inceſtabit tectum, & qui tecta frequentant,
Et quantum cædes odit regnator aquarum
Humanas, tantum delphini fata peroſus.
Humano generi ſimilis prudentia fertur,
Et Iouis vndiſoni ſeruis: capiuntur amore,
Collectíque ſimul piſces ſocia agmina iungunt,
Et ſibi conciliant homines, prædámque capeſſunt
Communem, atque dolo in piſces armantur eodem.
Fluctibus Ægæis, & celſa in Chalcide prædam
Piſcator fallit, cum veſper claudit olympum
Ænea ſubfuſcum lumen claudente laterna,
Delphines mortem properant dare piſcibus atram.
Aſt illi errando magno dant terga pauore,
Hi contra piſces pellunt à fluctibus imis
Inuiſum in littus cupientes æquore labi.
Sic manus inuerecunda canum latratibus vrget,
Impellítque feram venantibus impete vaſto,
In terram pulſos cædit mucrone tridentis
Piſcator, facilem captans de littore prædam.
Nulla fuga eſt miſeris, quando à tellure necantur,
Atque à delphinis pelluntur marmore lato.
Sed poſtquam felix piſcantum præda peracta,
Mercedem iuſti repetunt certaminis æquam
Concordis pugnæ partem, meritúmque laboris
Suſcipiunt homines in prædæ parte libenter:
Delphinos ſi qui fraudant mercede proterue,
Non poſt auxilio vanis piſcantibus adſunt.
Lesbius incuruo delphino vectus Arion,

Impauidus tumidas ſulcauit marmoris vndas,
Et cantu euaſit mortem, fraudéſques latronum
Tænariæ appulſus propè littora grata Laconum.
Forte aliquis Libyci pueri cognouit amores,
Dum ducit ſimas per paſcua læta capellas:
Feruenti delphin puerum complexus amore,
Gaudebátque ſimul ludo, calamíſque ſonoris:
Hunc paſtorali mulcebat fiſtulá cantu,
Atque greges inter verſabat lubrica membra,
A ponto ad ſyluas, mirum, veniebat opacas.
Nunc etiam pueri notos bene noſcit amores
Æolis, haud vetus eſt, ſed noſtro tempore factum,
Nam delphis pueri miro ſuccenſus amore
Inſulæ inhærebat ſemper, portúmque tenebat.
Vt ciuis ſociis ſeſe diſiungere charis
Non animo fuerat: grato velut incola portu
A cunis catulus pueri ſub moribus infans,
Eductúſque ſimul fuerat iucundus alumnus:
Sed cum florentis peregerunt tempora pubis,
Et iam robuſto creuerunt corpore vires,
Hic inter iuuenes clarus viget æquore delphin,
Tum mirum viſu factum, & mirabile dictu,
Externas pariter gentes, ciuéſque mouebat,
Multos vicinos acciuit fama, ſodales
Vt videant iuuenem curuum delphina colentem,
Verſantémque ſimul, multi per littora cœtus,
Inque dies viſunt tanti miracula facti.
At puer aſcendit cymbam, portúmque per omnem
Nomine compellans ſolito delphina recuruum,

Quo fuerat paruus notus, volat ille ſagitta
Ocyor, & iuueni charo, cymbæque propinquat
Dilectæ ſuperis, cauda blanditur amica,
Et capite elatus iuuenem tractare benignum
Concupit, hic manibus piſcem demulcet amicum,
Et tenet amplexu: grata cupit ille carina
Vectari iuuenis, ſed cum propè ludit in vndis,
Ponè natat piſcis blandus, ſequitúrque natantem,
Lt latus adiungit lateri, mento quoque mentum,
Et caput inclinat capiti, velut oſcula carpat.
Tu dicas cupidum pectus cum pectore velle
Iungere, tam magno puerum prope nabat amore.
Sed cum clamatus delphin ſtat littora iuxta,
Demulcétque caput iuuenis, dorſúmque natantis
Inſilit, exceptum piſcis quocunque iubebat,
Vectabat puerum lætus: iubet ire per altum,
Obſequitur: portus geſtit ſulcare patentes,
Per portum vehitur: cupiat ſi littora iuxta,
Annuit, & chari pueri præcepta capeſsit.
Mollis equus flexis non tantum paret habenis,
Nec canis aſſuetus tantum venantibus audit,
Quantum nec fræno delphin, nec tractus habenis,
Vadit ſubiectus pueri quocunque voluntas
Imperat: haud ſolum vehit hunc, verúmque ſodales
Admittit quoſcunque iubet, nullúmque laborem
Effugit, vt pueri chari conſeruet amorem.
Tali viuenti delphin gaudebat amico.
Non tantum ſerui domini præcepta capeſſunt,
Atque opus efficiunt commiſſum ſponte vocati,

Quantum delphinus iuueni parebat amico.
At postquam iuuenis vitæ sua fata peregit,
Ploranti similis delphin prope littora fertur
Æquæuum puerum quærens, audire gementis
Tum posses voces, effundit pectore luctus
Tantos, non aliqua clamatus voce mouetur:
Amplius oblatas tristis non accipit escas:
Non exauditus ponto, nec littore in illo
Amplius est visus, pueri iam morte perempti
Est desyderio delphin consumptus amoris,
Iam cum defuncto properans occumbere amico.
Quamuis delphini conseruent pignus amoris,
Quamuis sint homini concordi fœdere iuncti,
Crudeles Thraces, vel qui Byzantij in vrbe
Degunt, tam mites capientes mente feroci
Delphinas, charis natis, canóque parenti
Ignouisse queunt, vel dulci parcere fratri
Possunt, inuisam capiunt sic æquore prædam:
Effætam matrem sectantur ponè gemelli
Mollibus asimiles pueris: Thrax durus in istos
Armatur celeri cymba, & defertur in æquor
Infaustam quærens prædam, qui forte videntes
Armatam contra celerem concurrere cymbam
Impauidi expectant, nec fraudem corde verentur,
Non hominum insidias, non vlla pericula ab illis
Applaudunt sicuti sociis, gaudéntque periclo.
Hi celeres properant, cædúntque tricuspide telo,
Quod dicunt acidem, telum letale natanti,
Delphinum iuuenem, plaga qui tortus acerba

Suſpirans imas ſeſe demerſit in vndas.
Viribus enixi non illum educere certant,
Incaſſum prædam caperent, vanúmque laborem:
Sed nauem & funem cupienti abſcedere laxant,
Feſtinant remis domitum delphina ſequentes,
Quocunque incedat demittunt vincla natanti.
At poſtquam multo confectus membra dolore
Langueat, & duro ferri mucrone foratus,
Iam tabeſcentis emergunt fortia membra,
Et iam defeſſus, leuibus verſatur ab vndis.
Supremum ſpirans mater non deſerit vnquam,
Sed ſuſpirantem ſequitur, miſeréque dolentem,
Ipſa etiam triſtes alto ſub corde dolores
Voluens: tu dicas mœſtam plorare parentem,
Cum capti nati direpta ex vrbe trahuntur
Hoſtibus in prædam diro certamine martis.
Sic dulcem natum confoſſum vulnere plorat,
Tanquam infixa parens ferro langueret acuto.
Qui ſupereſt, natum mater dimittit, & illa
Non iubet ire via, longe pellítque fugátque.
Heu fuge nate, genus nobis hoſtile virorum
Non ſocium. venantur enim nos cuſpide ferri,
Et iam delphinis indicunt martia bella,
Concordi violant inter nos fœdera dextra
Percuſſa, & ſuperos in fœdera firma vocatos.
Non habitura ſonum natis hæc verba locuta,
Vnus natorum longe eſt à matre fugatus:
Alter contortus letali peſte parentem
Torquet. nam pœna mater cruciatur eadem.
Et

Et ſequitur natum charum, nec deſerit vnquam.
Non longe à cymba poſſunt arcere parentem,
Non ſi percutiant miſeram, quatiántque timore,
Cum nato trahitur charo mœſtiſsima mater.
Vt ſubit hoſtilem venanti proxima dextram,
Hoſtes crudeles non flectunt ferrea corda,
Et mœſtam rapiunt matrem mucrone tridentis,
Filius, & genitrix fato rapiuntur eodem,
Non inuita ſubit in nati funere mortem:
Et ſpectat, ſentítque libens ſua vulnera mater.
Et veluti ſerpens, qui tigno nactus ab alto
Alitis eſt vernæ pullos, ſub tecta ſonantes
Mactat, & occiſos ſubicit ſub dentibus artus:
At mater primo grauiter triſtata mouetur,
Effundens triſtes natorum in funere queſtus:
Sed poſtquã laceros pullos, abſumptáque membra
Spectat, non mortem vitans, ſubit ora draconis,
Voluitur, & dulcis comitatur funera partus:
Sic feſtinauit delphini in funere mater
Ad mortem diris piſcantibus obuia facta.
Gentes, quæ duro clauduntur tegmine teſtæ,
Quæ ſerpunt ponto, cum luna impleuerit orbem,
Fama refert proprio plenas pingueſcere tecto:
Sed cum multiuagæ decreſcunt cornua lunæ,
Diminui graciles, tali ſunt lege coactæ.
Iſtarum partem piſcator colligit altis
Fluctibus, & fulua manibus comprendit arena,
Et partim innatas ſcopulis diſcerpit, at illas
Vndantes iaciunt turbati ad littora fluctus,

Vel in cœnoſas mittunt, pellúntque lacunas.
Aſt alias inter narratur ventre rapaci
Purpura, quæ tali piſcantis fallitur arte.
Sunt ſimiles calathis connexæ vimine denſo,
Iuncorum naſſæ ſtrombos in vimina mittunt,
Vel piſces duro tectos ſub tegmine teſtæ.
Per thalamum calathi linguam dimittit acutam,
Quæ gracilis texto naſſæ ſub vimine gliſcens
Tenſa cibum, duros heu prendit lingua ſopores,
Iuncis fixa tumet, & denſo vimine ciſtæ,
Arctior efficitur lingua, è curuamine texto
Non remeare poteſt, ſed ſtat cruciata dolore,
Purpureo capitur veſtes ſparſura colore.
Durius haud vllum ponto certamen ineſſe,
Nec magis infauſtum quàm ſpongas cædere raras
Fama refert: primo curàm potúſque cibíque
Accipiunt, molli nec ſomno membra reſoluunt,
Vt piſcatores alij, cum promptus in vndis
Se totum accingit duros perferre labores.
Non aliter dulcis venit in certamina cantus
Et vocé, & cythara phœbeo munere doctus:
Omnes obſeruant geſtus, omníſque venuſtas
Eſt curæ, vt dulces canat in certamine verſus:
Sic iſti obſeruant fundi ſub marmor ituri,
Continuo vt teneant flatus, duréntque ſub vndis.
Sunt primo experti cum reſpirare labore
Contigerit pelagi, quid poſsint æquore in alto.
Sed cum tam magno ſubeunt diſcrimine pontum,
Hi precibus diuos, qui regnant æquore in imo,

Orant, vt liceat vitare ingentia cete,
Et quæ cœruleo naſcuntur noxia ponto.
Si videant piſcem pelago cognomine ſacrum,
Tunc animos ſoluunt, non illo gurgite cete
Noxia, magnarum non cætera monſtra ferarum
Apparent, fluctus gaudent tranare ſalubres,
Et puros, ideo ſacrum dixere priores
Piſcem: quo viſo gaudent, properántque laborem
Tunc hominum mediis accingunt ilibus aptum
Funibus intortis, palmas qui tollit vtraſque,
Ponderis ingentis plumbum gerit ille ſiniſtra,
Harpam dextra tenet, niueum vehit ore liquorem.
Stat celſa in prora, fluctus ſpeculatur in imos,
Et vaſtum pontum, & tantos ſub mente labores
Euoluit: ſocij verbis hortantur amicis,
Atque animãt, veluti erumpentem carcere promptũ
Curſorem, & firmus cum ſub diſcrimine tanto
Eſt animus, magno depreſſus pondere plumbi
Liuentis, fluctus cum raptim fertur ad imos,
Lymphis palladium fuſcis diffundit oliuum,
Quod lucet totis late cum ſpargitur vndis,
Ac velut obſcura flammæ ſub nocte refulgent,
Infixas ſcopulis ſpongas proſpectat acutis.
Inter ſe iunctæ naſcuntur caute virenti.
Irrumpens ſpongas vibrata falce recidit,
Vt meſſor, rumpítque moras, funéque ſodales
Admonet, vt fundo ſubito retrahatur ab imo.
A ſpongis cæſis tetrum quæ ſpirat odorem,
Diſtillat ſanies, hominis quæ naribus hæret,

Et ſæpe extinguit, necnon tabo enecat atro.
Ocyor hinc dicto tumidis emergit ab vndis,
Tu lætus mœſtúſque ſimul, miſerabere feſſos
Artus, & tanto confectum membra labore:
Languida ſub tanto ſunt crura ſoluta timore:
Inuiſam & dira nactus ſub marmore prædam.
Nam miſer in fundo dum ſe demergit in imo,
Offendit monſtrum ingens, & funibus alto
Concuſsit, ſocios miſeranda in fata vocauit,
Vt ſeſe traherent: illi miſerabile viſu,
Truncatum & lacerum corpus ſub dentibus atris
Educunt ponto, & linquunt immania cete,
A quibus eſt ſocius mutilatus dente proteruo,
Deſtituúntque maris tractus, peſtémque locorum
In terram adducunt mœſti miſerabile corpus,
Reliquias plorant, ſocio triſtantur adempto.
Tot princeps generoſe maris narrauimus artes.
Illæſæ placidas percurrant æquoris vndas
Naues, & ventis tumeant tua vela ſecundis:
Exundet vaſtum ſemper tibi piſcibus æquor.
Inconcuſſa ſoli ſeruet radicibus imis
Fundamenta tenens ſubter regnator aquarum.

OPPIANI DE VENATIONE LIBER I.

TIBI fortunate cano, terræ illuſtre præſidium,
Lumen martiorũ amabile Romanorũ,
Auſonij Iouis dulcis ſtirps, Antonine,
Quem magna magno procreauit domina Seuero,
Beato nupta, & beatum enixa,
(Spõſa p̃ſtãtiſsimi mariti, puerperáq; pulcherrimi part',
Aſſyria Venus, & non deficiens luna,)
Nihilo inferiorem Iouis Saturnij prole.
(Propitij ſitis Titan Phaëthon, & Phœbus Apollo)
Quem quidem pater magnis cum formaſſet palmis,
Conceſsit vt haberet omnẽ tellurem, totúmque mare.
Tibi enim floreſcens parturit almus ager,
Rurſúmque tranquillum paſcit inſignia genera mare:
Tibíque omnes fluunt ab Oceano amnes,
Lætéque ridens currit illuſtris matuta.
Tibi equidem velim venationis nobiles artes ceciniſſe:
Iſtud mihi Calliope imperat, iſtud Diana ipſa.
Audiui, vt fas eſt, diuinam audiui vocem:

Et deæ respódi vicissim: prior autem me sic cópellauit.
D. Surge sis, & asperam ingrediamur viam,
Quam mortaliũ nondũ quis suis calcauit carminibus.
P. Faue veneranda dea: quæ in animo tuo agitas,
Nos sub nostra humana eloquemur oratione.
D. Nolo triẽnalem te nunc montanũ Bacchũ canere,
Non choreas Aonij ad gurgites Asopi.
P. Mittã, vt imperas, Bacchi celebrare nocturna sacra:
Persæpe duxi choreas Thyonæo Libero patri.
D. Ne genus heroum dicas, ne nauigantem Argum.
Neque prælia hominũ, ne mihi funestũ Martem canas.
P. Non dicã bella, nó Martis facinora perniciosissima.
D. Noui Parthorúmque clades, & Ctesiphontem:
De bellis nefariis taceto ac relinque cestos.
Odi quos dicunt lusus marinæ Veneris.
P. Audiuimus te, diua, nuptiarum expertem esse.
D. Cane pugnas & ferarum, & virorum venatorum:
Cane genera canum, & equorum pernices cœtus,
Consilia solertia, indaginis sagacis & quęstuosæ officia:
Odia mihi ferina dicito, amicitias canito,
Et thalamos in montibus lachrymis carentis veneris,
Et partus in feris obstetrice carentis nixus.
P. Huiusmodi iussa Iouis magni filiæ:
Audiui, cano. vtinã autem mittã collineatum carmen.
At tu qui ab oriente ad Oceanum vsque imperas,
Placide ambrosiis sub superciliis tuis renidens,
Dextram præbe mansuetam, felicitatis largitricem
Terræ, & vrbibus, & de prospera venatione versibus.

Triplicem venationem deus conceſsit hominibus,
Aériam,terreſtrem,& marinam amœnam:
Verum non par labor.nam quî tandẽ paria fuerint,
Piſcem trepidantem è gurgitibus éduxiſſe,
Et paſsis volantes alis aues è cœlo traxiſſe,
Aut cum feris cruentis in montibus certaſſe?
Sed tamen nec piſcatori,nec vtcunque aucupi
Venatio citra laborẽ : at laborẽ vnà oblectatio ſequitur
Sola,& labor nullus:at incruenti ſunt.
Nempe ille ſcopulis inſidens littoreis
Flexis calamis,& hamis ſæuis
Intrepidus piſcator impediit ſolertem piſcem:
Oblectatio verò(eſt) quãdo ferro ſubter malis confixũ
Perquam ſublime emicantẽ ſuper æquora frementem
Marinum tollit per aẽrem ſaltatorem(piſcem).
Iã verò aucupi labor iucũdus(eſt).quippe ad venationẽ
Non enſem,nõ falcatũ gladiũ,non ferreas haſtas ferunt.
Sed ipſos ad ſyluas comes ſequitur accipiter,
Et longæ funes,humidúmque mellei coloris viſcus,
Quíque aeriam calami calcant viam.
Ecquis hæc auſit dicere paris momenti?
Aut regi leoni quis aquilam opponat?
Cum veneno autem pardorum quis murænã cõparet?
Aut thoas cũ accipitribus,aut rhinocerotas cũ echinis?
Aut larum cum capris,aut cete omnia cum elephanto?
Venatores lupos interfecerũt, thynnos verò piſcatores:
Prædatores oues,colũbas ceperunt calamis aucupãtes:
Vrſum venatores,& mormyrum piſcatores:

Tigrin autem equites, & mullos piscatores:
Aprum vestigatores, & luscinias visco fallentes.
Verum tu mihi Nereu, & dij Amphitrites,
Et aues amantium Dryadum cœtus propitij sitis.
Quippe vicissim me charæ vocant camœnæ:
Diis ferarum vastatoribus conuersus eo cantatum.

Primũ quidẽ adolescẽtes ne mihi valde obesi sunto.
Etenim inter scópulos conscẽdere valde ingentẽ equũ
Opus necessariũ (est:) opus porrò fossam saltu superare:
Sæpenumero etiã in nemoribus necesse ferã sectari,
Vt pedibus agilem & leuibus artubus.
Itaque ne obesi ad venationis certamen eant,
Nẽ quid graciles. etenim aliquando dimicare
Cum feris bellicosis necesse multum venantem virũ.
Proinde mihi corpore sic temperati eant (venatum,)
Vtrũque, & veloci ad currendũ, & forti ad dimicandũ.

Quinetiam dextra quidem vibrent iacula
Gemina longa: ensem autem falcatũ in medio cingulo.
Quippe feris amarum dolorem pararint,
Et aduersus improbos tulerint præsidia viros.
Læua autem pedes quidem ducat canes, eques verò
Equorum regat moderatrices habenas.
Expeditè autem tunicam & genuum tenus astrictam
Gestet, connectatur autem alternis loris:
Ceruicis deinde ex vtraque parte pendulum è manibus
Pallium cõstrictũ habeat ponè, validos super humeros,
Faciliorem ad laborem: nudis autem pedibus adeant
Illi quibus vestigia curæ sunt notatu difficilia ferarum:

Vt ne feris ex oculis somnum adimat
Strepitus eorũ qui terũtur pernicibus pedib' calceorũ.
Nec verò palliũ habere multo satius est: quia pallium
Sæpenumero motum flatu increbrescentis venti,
Feras perterrefecit: exilierunt autem ad fugiendum.
Sicquidẽ bene ornatũ habuerĩt velox corp' venatores.
Tales enim amat Diana iaculatrix.
Aliâs autem alio tempore in feras proficiscantur,
Die ineunte, & die cadente,
Et medio, nõnũquã vespertino, nõnunquã etiã tenebris
Feras sub radiis lunaribus domuerunt.
Aurora quidem tenditur vtilis venatori
Omnis serena ad perpetes cursus,
Vere frondoso, & folia decutiente autumno.
Egregiè enim sunt & equis, & hominibus,
Et canibus sæuis, ad currendum moderata tempora:
Vere aureo, gelidarum nubium expulsori,
Quando nauitis apertum est nauigantibus mare,
Alba pandentibus veliuolarum armamenta nauium:
Quando terra hominibus stirpes colentibus gaudet:
Quando & calycibus & floribus nodos soluit:
Aut rursus extremis autumnalibus conuersionibus,
Quando domus floret fructus legentis agricolæ,
Fructus Mineruæ fœcundum quando alueum implet,
Et vua vitium premens prælum gaudet.
Aluearia apum quando floridi faui premunt.
Hyeme autem media, medio die venatum eas:
Cùm aliquis in syluis sub antrum se recipiens

Fomitibus collectísque, & breui flamma cumulata
Prope ignem recumbens, parauit prandium lignator.
At æstate oportet vitare flammeas minas,
Incrementúmq; solis: iubeo autem in certamen venire
Primum sub diluculum, quando mane rustici
Temonem subter sub affabrefacta stiua
Terram proscindens iuuencis aptant aratrum:
Aut rursum vesperi, quando sol iuga flectit,
Quando dant signum suis gregibus pastores,
Cùm vadunt ad sua rursum stabula
Graues mammísque, & vberibus exundantes:
Qui autem à lapideis vsque prodeunt septis
Omnes circum suas charas lasciuiunt matres:
Nempe circum formosas oculos iuuécas truces vituli,
Cæterum circum cornigeras oues balantes agni,
Circúmq; capras hœdi, & circũ equas veloces equulei.
Iam verò tot ferant ad montes saltúsque
Administratores strenui venationis illustris instruméta,
Armáque venaticam multum spirantia cædem,
Casses, nexiliáque vimina, ingentémque panthera,
Retiáque, varrósque, laqueorúmque tristes nexus,
Spiculum trisulcum, lanceam capitatam,
Telũ leporariũ, hastiliáq;, & pẽnatam velocẽ sagittam,
Enses, securésque, leporum interfectorémque tridentẽ,
Vncinos curuos, plumbo vinctósque annulos,
Spartæum funem, benéque textam pedicam,
Nexúsque, vallósque, maculosásque plagas.
Equos autem venatum in primis generosos ducant,

Mares:non ſolum quòd deteriores ſunt pedibus
Fœminæ, ad peragendum longum curſum in ſaltibus:
Verùm quòd vitare neceſſe eſt cubilis amãtem animũ
Equorum velocium,equam autem procul tenere,
Vt neque hinniant cupidi coitus,
Atque audientes planè,triſtem fugam ineant
Hinnuli,capreæque veloces,& timidus lepus.
Equorũ autẽ varia genera,quot nationes infinitę homi-
Quot mortalib' genera diuiſa ſunt fruge veſcẽtib'. (nũ,
Verũ tamen dicam qui inter omnes præſtantes (ſunt,)
Quíque equeſtribus excellunt pugnis:
Tyrrheni,Siculi,Cretenſes,Mazaces,Achæi,
Cappadoces,Mauri,Scythæ,Magnetes,Epei
Iones,Armenij,Afri,Thraces,Arabes.
Equum autem inter omnes egregium obſeruarunt
Periti curriculorum circẽſium,& armentorũ cuſtodes,
Forma qui huiuſmodi toto corpore ornatus eſt:
Argutum ſuper ceruicem arduum altè caput
Tollat,ingens ipſe qui ſit teretibus membris,
Alto capite:extrema autem mala verſus collũ vergat:
Latũ ſit lętúmq; ſuperciliorũ diſcrimẽ:ex tẽporib' autẽ
Circum frontem comarum crebræ alludant capronæ,
Oculus acer,flãmeus,palpebrarũ ſuggeſtu truculentus,
Patulæ nares,os autem latum,aures breues,
Curuum collum ſit ceruicem habentis hiſpidam equi,
Vt cùm crinita iuba nutat galea:
Amplum ſit pectus,longum corpus,lata terga,
Et ſpina duplex in medio coxas opimas reddens;

Extendatur autem magna ponè pilis profusa cauda:
Fœmora autem compacta,musculosa: cæterum subter
Rectæ prolixæque pedum longæ tibiæ,
Ac valde graciles,& carne carentia crura,
Cuiusmodi cornigeris ventosis pedibus ceruis:
Et talum flexum habeat,obeat autem rotunda vngula
Altè satis à terra,densa,cornea,solida.
Talis mihi eat in acre ferinum bellum
Animosus,certaminis socius,martius,strenuus equus.
Tyrrheníque tales,atque Armenij,& Achæí,
Cappadocésque pręclari,ante Taurū(montē) pascūtur.
Miraculū porrò Cappadocibus ingēs animaduerti per-
Quandiu quidem primæuum in ore dentē, (nicibus.
Et molle ferunt corpus,sunt segnes:
Velociores autem sunt,quanto magis consenescunt.
Illos ad bella fortia armato,
Sæuásque in feras.nam egregiè animosi sunt,
Ad armis occurrendū, ad densámque rūpendam aciē,
Ad ferásque aduersum martias dimicandum.
Quo pacto enim in prœliis martius audiat equus
Clangorem pugnā incitantē longarū bellicū tibiarum?
Aut quomodo contrà aspexit inconniuentibus oculis,
Iuuenibus cohortem confertam armatis,
Et æs splendidum,& coruscans ferrum?
Et didicit quādo manere oportet,quādóq; rursus impe-
Et didicit audire fortium tesserā ducum? (tū facere
Sæpe etiam hostium virorum accessit ad arces:
Quietus scutatum,pinnatum,quando mortalibus
Clyp

Clypeus ſupra caput tranſuerſum clypeum firmat,
Quando cupiunt hoſtium vrbem excidere
Et æquor extruunt ſublime ſeptem boum tergoribus,
Artificioſum,dẽſum,multis vmbonib' vallatũ,ac cõtra
Æs emicat ſolaris:repentè autem retro (ſplendor
Reflexo radio fulget multus æther.
Quippe equis egregie natura largita eſt ſolers
Hominum audaciã,& in pectoribus docilem animũ.
Semper agnoſcunt ſuum charum equiſonem,
Et hinniunt conſpicati illuſtrem ducem,
Et qui bello ceciderit multum gemunt ſocium.
Equus in pugna fregit aliquando vincula ſilentij,
Et naturæ leges ſuperauit,& accepit vocem
Humanam,& linguam ſimilem hominibus.
Equus verò martius Macedonis regis
Bucephalus armis contrà dimicabat.
Equus ſuper ſpicas currebat leuibus pedibus:
Alius ſuper mare,neque vngulam tinxit.
Equus ſuper nubes chimæræ interfectorem vexit virũ:
Et hinniens aliquando equus equiſonis dolis
Fecit Perſarum Aſianorum regem.
Eximiè autẽ rurſum venerãtur naturã: iſtud penitus in-
Ad coitũ accedere ad quẽ nefas:ſed manẽt (credibile,
Impolluti ſcelerum,caſtam autẽ cõplectũtur venerem.
Audiui vt olim locuples quidam paterfamilias,
Egregium habebat in agris equorũ armentalẽ gregem,
Quos omnes deinde cùm peremiſſet funditus
Equinus morbus,reliquit duos,matrem ſolam,

Et matris charæ ſubrumum adhuc pullum.
Cæterum poſtquam adoleuit, tentabat improbus vir
Matrem nati ſui in vlnas mittere.
Eos verò vbi vidit recuſantes admiſſuram,
Et nuptias vtriſque interdictas, ſtatim deinde
Nefaria moliens, doloſum conſilium texebat,
Sperans ſe reuocaturum ſobolem equis denuo.
Ambo quidem primū obuoluit, altius dolos verſans,
Alio corio, deinde verò perungit vnguento
Totum corpus odorato, fragrante. ſperabat ſane
Odorem ducem ſe obliteraturum amicitiæ:
Ac fefellit, dij veſtrā fidē, faciens ſceleratè, & perpetratę
Cōmunes execrandæ nuptiæ, inuiſiſsimæ equis, (ſunt
Cuiuſmodi apud homines contractæ ſunt olim
Thebanæ nuptiæ inceſtæ miſeri OEdipi.
Illi autem vbi nudati ſuum ſcelus intellexerunt,
Obliquis verò aſpexerunt triſtes oculis,
Illa quidem miſera non natū natum: cęterū ille repente
Miſer maritus, inceſto pollutus cubili, non matrē matrē
Altè ſanè ſe arrexerūt implacabiliter fremētes, (infelicē,
Vinculiſque ruptis ibant clarè hinnientes,
Veluti deos beatos teſtes implorantes ſceleris,
Diráſque precantes damnoſo pronubo.
Tandem autē lugentéſque & effrenato impetu ruētes,
Aduerſis ſcopulis ſua capita illidentes
Oſſa cōminuerunt: ſuam autem vitam peremerunt,
Suę ſibi necis auctores, inclinatis alteri⁹ in alterū capiti-
Sic fama vetus gloriam equis magnam canit. (bus.

Equorũ autẽ quotcũq; genera educauit immẽsa tellus,
Celerrimi Siculi, Lilybeum quíque depascuntur,
Et tricipitem montem, vbi operimentum Enceladi
Flamma ætherea ructantis fulminis
Siculæ Ætnæ feruet æternus ignis.
Velociores autem Siculis ad Euphratis fluenta
Armenij, Parthíque profunda coma sunt:
Attamen & Parthis eximiè excellunt Iberi
Velocioribus pedibus quadrupedantes solo.
Illis forte sola contrà comparari posſit
Aquila in ætheriis præpeti emicans volatu plagis,
Aut accipiter paſsis volans alis,
Aut delphis per canos labens fluctus:
Tantum Iberi sunt pernices pedibus ventosis:
Verum parui imbecillíq; viribus, & malè fortes animo,
Et cursu in exiguis deprehenduntur spaciis.
Speciem autem insignem inclyto corpori induerunt:
Vngulã verò non firmam, luti alumnam, latè calceatã.
Maurorũ autẽ velocia genera multo pręstant omnibus,
Cursibúsque longis, & laboribus duris.
Et Libyci post eos, longum cursum perficiunt.
Species autem vtrisque similis, præter quàm sanè
Maiores aspectu Libyci fortes sunt:
Sed corpore longi. lateribus enim amplectuntur
Aliorum latera, costam, pectinémque, quocirca sunt
Ampliores specie & maiores ad statim capessendos cursus:
Boni autẽ solis ferre æstuosum impetum,
Et meridionales sitis acres minas.

Equi autem Tyrrheni,& ingentia Cresia genera,
Vtrunque,& veloces ad currendum,& longi sunt:
Mauris velociores Siculi,sed Siculorum animo,
Et cæsij sunt,& eximie oculis micantes,
Et soli ferunt magnum rugitum leonis.
Quippe feras in alias alia genera
Equorũ idonea multa(sunt,)quæ tibi loquuntur oculi.
In pedibus insignes ceruos,cæruleos armato:
In vrsos,glaucos:& in pardos,sanguineos:
Flagrantes autem equos igneis oculis,in apros:
Cæterùm oculorũ acie fulgẽtes,cæsios,in cęsios leones.
Pulchritudine autem inter omnes est eximius equus
Nissæus,quem ducunt locupletes reges,
Pulcher aspectu, mollísque ad ferendũ, parẽte habena,
Argutus quidẽ capite, verũ numerosus profunda iuba
Exultans vtrinque flauis iubis. (ceruice,
Quinetiam aliud genus decorum spectato,
Maculosum,conspicuum,quos oryngas vocant:
Aut quòd pulchricomis in montibus crescunt,
Aut quòd valde cupiunt in fœminas ruere.
Duæ autẽ in oryngib⁹ sunt vario flore distinctæ formę.
Quippe alij ceruicem,& crine decora lata terga
Picta habent longis crebro cingulis,
Tigres quo pacto,velox celeris Zephyri soboles.
Alij autem rotundis in orbem variantur
Maculis crebris similiter ac pardi:
Quos adhuc pullos pinxerunt artifices viri
Candente ære,longum pilum inurentes.

Sæpe autem alia mortales solertissima excogitarunt,
Pullum pingere, etiamnum in vtero matris agentem.
O quanta solertia, quanta mortalibus inest mens.
Fecerūt vtcunq; volūt, reddiderūt varia specie insignes
Matris adhuc lacteis qui cōcipiuntur ilibus. (equos,
Quando enim fœminam peruasit libidinosus impetus,
Equū autē prope vadētē inclytū magnanimū expectat,
Tunc pingunt maritum formosum: vndique autem
Totum corpus maculosis circum coloribus delineant,
Et ad cubile adducunt forma superbientem.
Vt verò quispiam adolescēs ab ornatricibus mulieribus
Vestibus candidis, & floribus purpureis
Redimitus, spiránsque Palæstinum vnguentum,
In thalamum vadit, Hymen hymenæum cantans:
Sic equum properantem, nuptialiáque hinnientem
Coram sua coniuge illustrem maritum spumantem,
Diu retinent chari cupidum cubilis:
Tandem tamen dimittunt amabilem in complexum.
Ea autem grauida facta maculosum generauit pullum,
Vtero mariti fœcundo semine hausto,
Accepta verò forma discolore oculis.
Eadem etiam illi quibus calami curæ sunt,
Excogitarunt solerti ingenio aucupes,
Quando variant & tingunt columbis pipiones.
Cum enim in venerem veloces columbæ vadunt,
Quæ miscentur rostris gemebundis coniugis,
Tum consilium texuit inclytum mansuetarius vir:
Iuxta autem fœminas posuit coloribus varia multa

Pallia purpurea: at illæ limis oculis iactatis
Animo oblectatæ pariunt purpureos pullos.
Quin etiam sic Lacedæmonij callida commenti sunt,
Suis charis vxoribus, quando ventre catuliunt,
Pictas in tabulis prope posuerunt splendidas formas,
Eos qui olim effulserũt specie inter homines ephebos,
Nireum & Narcissum, fortem Hyacinthum,
Castorémq; galea insignẽ & Amyci interfectorẽ Pollu-
Adolescẽtésq; iuuenes, quíque inter diuos egregij, (cẽ,
Phœbum laureatum, & hederigerum Bacchum.
Illæ verò oblectantur venustam formam conspicatæ,
Pariúntque formosos pulchritudine attonitæ.

Hacten' quidẽ de equis: verũ descẽde chare anime
In viam canum: ac qui plurimi ex omnibus canibus
Inprimis censentur, valdéque venatoribus curæ sunt:
Pæones, Ausonij, Cares, Thraces, Iberi,
Arcades, Argolici, Lacedæmonij, Tegeatæ,
Sarmatici, Gallici, Cretici, Magnetes, Amorgi,
Et quotquot Ægypti arenosas ad ripas
Armẽtorum custodes (sunt) Locri, glaucíque Molosi.
Quòd si tibi miscere placuerit generosa genera,
Vere primùm cubile præbeto canibus.
Vere enim magis venerea curæ est res
Et feris & canibus & exitiosis anguibus,
Aëriísque auibus, & marinis piscibus.
Vere quidem tetro vipera suffusa veneno
Adit cubile ad littus marinæ coniugis.
Vere mare totum etiam perstrepit venere,

Et pisces coeuntes surriunt in tranquillitate.
Vere etiam columbæ ruunt in columbas:
Equi autem armentales in equas armantur:
Tauri verò agrestes in iuuencas feruntur,
Et arietes tortuosi vere oues ineunt,
Et apri ignei subant sues,
Et hirci hispidis inequitant capris:
Atque adeo ipsis hominibus vere magis amores.
Vere enim popularis ingrauescit venus.
Genera verò tibi canum admiscenti curæ sunto,
Congruæque inter se, similésque egregiè stirpes,
Arcadicos cum Eleis misceto, cum Pãnoniis Creticos,
Caricos cũ Thracibus, Tyrrhenã stirpẽ cum Laconib⁹:
Sarmaticúmq; maritum adducas ad Iabericã sponsam.
Sic quidẽ benè miscueris, verũtamẽ pstãtissima omniũ
Genera manent simplicia: ista pręcipue notarunt
Viri venatores, eæ verò infinitæ stirpes sunt.
Quarũ nimirũ & formæ, & species huiusmodi sunto:
Longum, validum corpus, amplum, & caput
Leue, oculis decorum: cærulei fulgeant oculi:
Dẽtibus serratum, diductum sit os: paruę autẽ supernè
Auriculæ tenuibus obducantur membranis.
Collum longum, & pectora subter valida,
Lata: priores verò breuiores pedeș sunto:
Rectæ crurum, longæ, prolixæ tibiæ,
Lati armi, costarum obliqui processus,
Lumbi torosi, non pingues: cæterum ponè
Gracilísque & porrecta sit longa cauda.

Tales quidem ad longos armentur cursus,
In damas,& ceruos,& ventoso pede currentẽ leporem.
Pugnaces rursus alteri,quib' ad hostẽ sustinendũ virtus.
Qui etiã tauros adorti sunt grandia palearia habentes,
Et apros violentos irruentes interfecerunt:
Qui neque leones suos timent reges,
Ampli,collibus similes in agris fastigia tollentibus:
Paulo magis sima quidẽ sũt facie,minacia verò supernè
Prominẽt orbi superciliorum frontis discrimina,& flã-
Oculi,glauca micantes acie: (mei
Pellis tota hirta,firmum corpus,lata terga.
Veloces autem non sunt,verùm virtus intus multa,
Et robur immemorabile,syncerũ, & anim' nihil verẽs.
Igitur iam ad venationem armato huiusmodi genera
Pugnacium canum,qui belluas omnes persequuntur.
Colores autem albíque perquàm mali,nigríque.
Neque enim solis perferre vim facile possunt,
Neque niuosi vim hyberni temporis.
Illi autem inter omnes præstant canes,
Quibus similes formæ multùm feris crudiuoris,
Ouium interfectoribus lupis, aut tigribus pernicibus,
Aut etiam vulpibus,celeribúsque pardis:
Aut qui Cereri persimilem speciem habent
Tritico cõcolores. valde enim veloces strenuíque sunt.
Quòd si tibi solers catulorum æducatio curæ est,
Ne vnquam lactentur catuli recenti mamma
Caprarum,aut ouium,neque domesticis canibus:
Quippe segnes atque nullius precij ingrauescerent:
Sed

Sed aut ceruarum mamma manſuetæq́ue leænæ,
Aut caprearum, aut noctiuagæ lupæ.
Nam ſic & fortes, & celeres admodum reddideris,
Similes ipſis lactiferis nutricibus.
Cæterum paruulis nomina catulis
Breuia impone, velocia omnia, velocem vt vocẽ audiãt.
Equis autem validis familiares venatoriis,
Iam inde à paruulis ſint, hominibúſque omnibus
Aſſueti, & blandi, ſolis autem feris infeſti:
Ne latrare velint. quandoquidem valde venatoribus
Silẽtium ſanctum eſt, potiſsimũ tamen indagatoribus.
Genera porro veſtigationis obſcuræ ſunt duo,
Virorum & canum: nempe homines callidi
Oculis notarunt, & deprehenderunt vias:
Naribus verò canes veſtigia omne genus ſignarunt.
Iam verò hominibus eſt commodum tempus
Hybernum, indagant autem nihil laborantibus oculis.
Propterea ꝗ in niuibus ſcripta omnia ſimul cernũtur,
Et luto manent impreſſa ſimilia pedi.
Infeſtũ verò ver canibus, commodus autẽ eſt autũnus.
Vere enim plantis abundè herbarum nutrix tellus
Floribus referta eſt, odorata: vndique autem paſsim
Florida prata citra cultum purpuraſcunt,
Et omnem indagatoribus ſagacibus canibus
Odorem veterem obliterant arua.
Sed frugifero dulcibus vuis fœcundo autumno
Herbæ & plantæ & flores ſeneſcunt:
Nudus autem catulis manet ferinus odor.

Est porrò quoddã catulorũ genus strenuũ vestigatorũ,
Paruũ: verũ tamen quod magna dignũ sit celebratione:
Quos educarũt sæuæ gentes Britannorũ tergo pictorũ:
Cæterum nomine eos Agassæos nominarunt:
Quorum nempe magnitudo similis vilibus
Liguritorib⁹ domesticis ad mensam parasitãtib⁹ canib⁹:
Curuum, vescum, hirtum, oculis languidum:
Verum vnguibus pedes armatos habens sæuis,
Et crebris dentibus munitum venenatis:
Naribus porro longe præstantissimus est Agasseus,
Et ad vestigandum optimus: quoniã & terrã peragrãtiũ
Ad vestigiũ inueniendũ multum sagax (est:) verũ & ad
Solers aerium valde notandum odorem. (ipsum
Atque aliquis venatorum explorare catulos
Cupiens, ante portas excelsas,
Aut mortuum, aut viuum fert manibus leporem:
Vadit autem prorsum tractum semitæ
Primum quidem rectum, deinde obliquum ducens,
Læua, dextra, sinuosam viam vndique implicans:
Verùm vbi valdè longè ab vrbe & portis
Venerit, tum sanè fossa facta infodit.
Reuersus autem in vrbem retrorsum extẽplo adducit
Prope viam canem acrem: cæterum ille statim
Excitatus est, fremitque leporario ex odore:
Vestigia verò indagat per terram, nec valdè inuenire
Cupiens potest: valde autem solicitus vagatur.
Quẽadmodũ autẽ quando aliquã puella decimũ circa
Primipara puerperij à doloribus icta, (mensem lunæ

Soluit quidē crines, soluit verò ornamenta mãmarum:
Ac sine tunica miseráque, & absque redimiculo capitis
Errat quocunque per ædes, & dolore cruciata,
Modo in vestibulum pergit, modo rursum
In cubile tendit, modo in pulueribus abiecta
Lamentatur roseas lacerans genas:
Sic ille animum exedentibus affectus doloribus,
Huc & illuc properat, & ordine scrutatur
Omnem lapidem, & omnē cliuum, & omnē tramitē,
Arboresque, vitésque, & sepes, & fundos.
Verum vbi vestigium tandem aërium nactus fuerit,
Gestit, gannítque lætus. quemadmodum paruæ
Lasciuiunt iunices circum iuuencas vbere grandes:
Sic etiam illi valdè animus gaudet: ruens autem
Vertitur obliqua incedens per spacia.
Neque verò eū abduxeris, ne si lōgissimē quidē ducas:
Recta autē tendit pertinaciter, suaui apprehēso odore,
Quoad finem laboris, & ad metam peruenerit.
Quòd si eum armes in non captos lepores,
Cláculū quidē accedit, in vestigium autē vestigiū figit,
Summissus sub vitibus tectus, aut stipulis.
Quemadmodū prædo hœdorū raptor, quíque pastorē
Dormientem prope obseruans placide accedit:
Verum vbi ad lustra leporaria propinquauit,
Celeriter exilit sagittæ similis, aut angui
Sibilanti, quem excitauit suum ante quiescentem
Venenatum latibulum messor, aut aliquis arator:
Sic ille lætus celer exilit: quòd si ceperit,

Facilè quidem acutis perempto vnguibus,
Et malis capto onere magno occurrit:
Celeriter adfert laborans,onuſtúſque accedit.
Cuiuſmodi autem ex ſegete vehit fruges meſsis,
Onuſtúmque tritico in villam vadit plauſtrum:
Id autem conſpicati prodierunt frequentes ruſtici,
Ilicet obuiam occurrentes,alius rotas vrgens,
Alius vehiculum,alius axem bobus adiuuans:
In villam autem vbi peruenerunt,ſoluerunt temonem:
Tauri verò ſudantes reſpirarunt à labore:
Animus autem fatigati valde lætatur aurigæ:
Sic ille venit onus malis portans.
Cæterum hic occurrit lætus celer venator:
Ambos autem ſublatos,à matre alte terra,
Amplectitur feram,& illum feræ interfectorem.

OPPIANI DE VENATIONE LIBER II.

NVNC agesis mihi Iouis filia decora pedibus Phœbe,
Virgo aurea succincta zona, gemina soboles cum Apolline,
Narra hominum quisnam fortiúmque heroum
A tua manu acceperit illustres artes venationis.
Vtrinq; in imo cliuosę Pholoes, vẽtosę sæua genera
Feris mixta, hominũ quidẽ lũborũ tenus, verũ à lũbis
Equorũ semihominũ, pomeridianũ inuenerũt venatũ.
Verũ inter homines primꝰ qui Gorgonis ceruicẽ secuit,
Iouis aurei filius inclytus inuenit Perseus:
Sed pedum velocibus sublatus alis,
Et lepores, & thoas capiebat, & genus caprarum
Ferarum, dorcadásque pernices, orygúmque secula,
Aut verò ipsorum ceruorum insignium ardua capita.
Equestrem autem venationem lucifer reperit Castor,
Et quasdam interfecit in scopum rectà iaculum
Destinans, quasdam rursum pernicibus equis agitans
Feras cepit in lustris meridiano cursu.
Verum ad certamina ferarũ canes armauit truculentos
Nobilis primus Lacedæmonius Pollux.
Etenim pugilatu nefarios interfecit homines,
Et catulis celeribus varias domuit feras.
Egregiè verò in statariis montanis pugnis.

OEnei filius effulsit bellicosus Meleager.
Casses rursum & laqueos, & sinuosa retia primus
Hippolytus hominibus venatoribus ostendit.
Schœnei verò prima inclyta filia Atalanta
Feris cædem pinnatā apri interfectrix inuenit puella.
Nocturnas autē fraudes, nocturnā fallacissimā venatio-
Orion primus excogitauit astutus. (nem,
Tot quidem venationis fortes olim auctores (fuerunt.)
Multos autem rursum postea amor incessit acris.
Non enim quisquā stimulis tactus venationis amœnæ,
Postea lubens reliquerit: tenent autē cū ingētia vincula.
Quàm scilicet suauis sopor in floribus veris tempore:
Quā porrò rursum æstate dulcis in antro cubatio humi:
Cuiusmodi porrò in rupibus venatoribus cibū capere
Voluptas: quanta autem iucunditas eos sequitur
Carpentes ipsos melliti florem autumni.
Iam frigida ex antro profusa argentea aqua,
Qualis fatigatis potus, dulcéque lauachrum.
Quàm porro in saltibus grata munera ferunt
In dulcibus fiscellis prope greges pastores.
Verū age sis taurorū riualis impatiētē penitus nationē
Primum canamus, & ingentem valde contentionem,
Quo pacto de thalamo sæuissime pugnare soliti sunt.
Vnus rex in armento dominans, lōgè præstantissimus
Minoribus tauris, & fœminis imperat:
Horret autem armentū cornigerum magnum ducem:
Ipsæ autē rursum formidant suū maritū excādescētem,
Cum mugierit, feræ boues: verùm vbi in alium

Taurus ſecedens ab armento, latam ceruicem excutiés
Solus vadit, etiam ille rex ſuis imperans:
Tunc certe vtrique funeſtum inſtat prælium.
Primum quidē aduerſis oculis alter in alterū intuentes,
Acerbè excādeſcente indignatione vehemēter ſæuiūt,
Et igneum ſpirant, & metunt pedibus terram,
Quaſi qui puluere ſpargūtur: prouocātur autē vtrinq;,
Alte frementes bellico fremitu.
Verum vbi tuba ſignum dederunt ad pugnam triſtem,
Indomita vi irruunt: ſuis autem ilico cornibus
Totum corpus alter alteri inuicem ſauciant.
Quēadmodū autē in bello nauali, quando naualis mars
Certamen excitat, duæ egregiæ naues
Fulgentes crebris è diuerſo militibus,
Aduerſo impetu proris in frontem concurrunt,
Impulſæ ventóque vehementi, manibúſque nautarum:
Circum arma verò ærea crepat fragor virorum,
Et nauiū quæ frangūtur: plāgit autē totus vndarū æſtu
Talis etiam tauris in aerem ſtrepitus abit, (Nereus:
Dum ſe feriunt ſine fine, & feriuntur cornibus,
Quoad alter ferat charam alterum iuuantē victoriam.
Cæterū ille haudquaquā fert ſeruile iugū: ſed erubeſcēs
Et grauiter gemens in opacam abit ſyluam.
Solus autem in ſcopulis voluentibus annis
Nutritur montanis ſeorſum in nemoribus,
Veluti aliquis athleticā exercēs: firmū autē cum robur
Et vires dubias, mugiit extēplo in montibus: (videt,
Cæterum ille remugiit, inſonuítque ſaltus.

Aſt vbi confidere cœpit vehementioribus mugitibus,
Tum certè ex montibus in hoſtem ipſe vltro venit:
Facile autem vicit. alimẽtis enim ſuum corpus firmauit,
Tandem in ſyluis vires eneruantis veneris.
Formæ verò multæ ſunt, & mores innumeri tauris:
Ægypti nempe ſunt ad ripas fructu nobiles
Nili frumentarij multifidi amnis,
Niuei colore, magnitudine omniũ longè pręſtãtiſsimi.
Diceres per terrã incedere profundã & ingentẽ nauẽ.
Placido verò ſunt animo, & familiares hominibus.
Quodcunque autem mortales iubẽt, iuuenes perferũt.
Phrygij, colore quidem inſignes ſunt
Flauíque, rutilíque: profundæ autem in ceruice pulpæ:
Globoſum autem ſupernè ſublime in alto tuber:
Prodigioſa verò in cornibus natura illis eſt.
Non enim firmis ſuper capitibus fixa erant,
Verum mouent cornua, & inclinant vtrinque.
Solidipedes (ſunt) Aonij, varium genus, vnicornes,
Et ex media cornu exitioſum attollunt fronte.
Armeniis geminũ quidẽ, ſed tamen cornu anfractu cõ
Cuſpidibus ingens exitium retortũ pendet. (uolutũ,
Syriaci tauri verò Cherroneſi ſoboles,
Editámque qui circum Pellam bene conditã paſcũtur,
Nigri (ſunt) validi, generoſi, lata fronte,
In agris ſtabulantes, robuſti, cornu valentes, feroces ani-
Mugitores, torui, æmuli, lato præditi mento, (mo,
At non obeſi corpore amplo graueſcunt,
Neque rurſum macilenti ſuo corpore infirmi ſunt.
Sic

Sic deorum pręclara munera tẽperata habentes ferunt,
Vtrũque & pernices ad currẽdũ, & fortes ad pugnãdũ
Illi, quos fama erat Iouis filium Herculem
Fortẽ, ærumnas ſubeuntem abegiſſe antea ex Erythia,
Quando ad Oceanum certauit cum Geryone,
Et interfecit in ſpeculis: quoniã laborẽ alium parabat
Non Iunoni obire, neque Euryſtei iuſsis,
Sed Archippo ſocio Pellæ duci amœnæ.
Quippe antea ad radices Embloni
Totus campus ſtagnabat. nam ingens ſemper Orontes
Ruebat properans, glauci autem obliuiſcebatur maris,
Incenſus amore nymphæ cœruleæ Oceani filiæ:
Immorabatur autẽ ad mõtes, tegebat autẽ ad ſemẽtẽ ap
Nolẽs relĩquere perditũ amorẽ Melibœę. (tũ ſolũ,
Montibúſque vtrinque cinctus circundatus erat,
Attollentibus vtrinque inter ſe iuga.
Ibat ab ortu Diocleum corpus arduum:
Cæterum ab occaſu læuum cornu Embloni:
Ipſe autem in mediis rapidè ruens campis,
Semper creſcens, & prope mœnia iens,
Continentem ſimul & inſulam, meam patriam alluens:
Itaque mox parabat Iouis filius vtriſque
Gurgitem metiri, claua & manibus validis:
Aquæ autem ex campo ſeorſum coercere
Pulchricomi lacus, & rapidi fluminis.
Peregit autem magnum laborem, vbi faſtigium excidit
Circumiectorum mõtium: ſoluit autem ſaxea vincula,
Et fluuium emiſit erumpentẽ per mõtium crepidines,

Violentè æſtuantem,& immaniter murmurantem.
Tetendit recta porrò in littora : fremuit autem mare,
Et Syriaci fragoré edidit atrũ corpus littoris. (deinde
Non tales ex vtraque parte ſonori maris
Aduerſo curr ẽtes alueo fluuij deſcẽderũt vnda rapida:
Illinc quidem aquilonis ſecans candida fræna,
In Scythiam Iſter ſtrepit vehementer vndique prorſus,
Labens per præcipitia & aquoſa iuga montium:
Illinc rurſus ex Africa ſacrum flumen Ægypti,
Circum ſe fractum formidat ſonorus pontus.
Vt fluuius edebat ingens in littoribus Orontes
Horrendũ mugitũ:vehementer autẽ reſonabãt littora
Recipientia ſinu recentis vndam maris:
Terra autem reſpirauit nigra potens vbere glebæ
Vndis emerſa,nouus campus Herculis.
Vbique autem etiam nunc ſpicigera ſunt arua.
Paſsim autem opera boum florentes onerant areas
Memnonis circum fanum,quando Aſſyrij incolæ
Memnona lugent inclytum filium Auroræ,
Quem aliquando ad Troianis auxiliãdum profectum
Audax maritus celeriter domuit Deidamiæ.
Verum quidem vt decet canemus ampla ornamenta
Patriæ noſtræ amœno Pimpleo carmine:
Nũc autẽ cõuerſo itinere pergo ad inclytũ de venatio-
Eſt atrox cruentis tauris genus, (ne carmen.
Quos vocant Biſtonas,quia ex patria ſunt
Biſtonide Thracia:verum ſortiti ſunt formas tales:
Horrentem iubam quidem in armis quatiunt

Circum ceruices opimas & circum mollia palearia:
Et quemadmodum iubati insignem formam habent,
Fului, torui, ferarum imperatores leones.
Acuti porro cornuū insigni cuspide minaces mucrones
Æreis inflexis persimiles hamis.
Verum non vt aliis ex aduerso alter in alterum
Imminent infestorum cornuum obliqua cuspide:
Verum resupini spectantes in cœlum funesti stimuli.
Quocirca quando aliquem inuaserint adsecuti,
Aut hominem, aut aliquam feram, sublimem tollunt.
Lingua verò angusta quidem, verùm aspera maximè
Quasi ferrum exedentis est instrumentum ferri.
Lingua porrò cruentantes cutem lambunt.

Quinetiam velocium ceruorum genus nutriit terra
Cornigerum, grandibus oculis, insigne, tergo varium,
Notatū, egregium, fluuios tranans, altè caput attollens,
Obesum tergo, & gracile cruribus:
Tenuis ceruix, & minima rursum cauda,
Quadrifidæ nares, quadruplices respirationum meatus:
Imbecillum cor, & animus intus imbellis,
Et inutiles cornuum mucrones tantum exurgunt.
Nunquam enim capite contra pugnauerint,
Non cum feris validis, non cum acribus canibus,
Neq; cū ipsis timidis crura hispida habētibus leporib᷒.
At asper rursus ceruis amor, multáque venus,
Et animus ad cubile incensus toto die,
Veluti semper strenuis gallinaceis pugnatoribus,
Omnibúsque floridis pennigeris alitibus.

Occulunt autem lumbis sub ipso intus ventre
Geminos canales,quos si quis execuerit ferro,
Ilico fœminã reddiderit: totũ autẽ defluxerit è capitib᷒
Acutum cornuum affabre factum elegans ramale.
Neque verò ad cubile nuptialis lex,quemadmodũ feris
Aliis,inusitatáque libido illis curæ est.
Neque enim stantes in saltibus agrestibus,
Neque iacẽtes humilibus in floribus graminis,
Cum fœminis ceruis vnà concumbunt:
Sed pedibus celeribus currens assecutus est currentem,
Fugientem autem prehendit,& amplectitur cõiugem.
Verũ nec sic quidẽ persuasit:gestãs verò maritũ tergo
Vsque fugit,inexorabilem animum habens.
Cæterùm ille sequens duobus velociter pedibus,
Non remittit libidinem,nuptiales autem absoluit leges.
Verùm cum postea voluentibus lunis
Fœmina parit,semitam hominum vitat,
Propterea quòd viæ hominum feris inuisæ sunt.
Egregriè autem inter feras pulchritudine efferuntur
Masculi cornigeri,elegãtem (cornuum)plantã habẽtes.
Vbi enim pulchrifida cornua stato tempore ceciderint,
Fossam quidem humi excauantes defoderunt,
Vt ne quis capiat in sulco nactus.
Occultantur autem ipsi remotissimis,densísque dumis,
Erubescentes feris capitibus eiusmodi videri
Nudis,quæ antea altè tollebant.
Duobus autẽ elemẽtis viuunt cerui. etenim terrã per-
Et mare tranant,gregalem inter se (agrant,

Nauigationem nauigantes, cùm traiiciunt mare,
Antè quidem vnus ceruis porrecto ordine dux est,
Veluti gubernator tenens clauum nauis:
Ei autem alius à tergo innixus ponè
Ceruice & capite, simul per mare gradiens,
Alius autem alium deinde ferens, secant mare.
Verùm vbi natantem labor primum occuparit,
Ordine is relicto abiit in tergum agminis:
Requieuit autem reclinatus in alterum paulũ à labore,
Alius autem rursum gubernacula habens, in mare pro-
Omnes autem natantes per vices duces, (greditur.
Pedibus quidem tanquã remis verrunt atram aquam:
Altè autem attollunt cornuum egregium decus,
Tanquam vela nauis permittentes ventis.
Iam verò inimicitias inter se exitiales semper exercent
Omne anguiũ & ceruorũ genus: passim autẽ inuestigat
Montis in callibus ceruus audacem serpentem:
Verum vbi vidit spiris plicatum longis
Vestigium serpentis, valde lætus peruenit
Prope latibulum, nares autem admouit latibulo,
Spiritu violento attrahens ad pugnam
Serpentem perniciosum: eum autẽ nolentem pugnare
Halitus violentus intimo extraxit cubili.
Continuo enim vidit hostem, & in aërem alte tollit
Tetram ceruicem: candidos autem prompsit dentes
Acutis mucronibus horrentes, complodítque malas,
Amara anhelans sibila venenata fera.
Extemplo autem rursum ceruus, & renidenti similis

Lacerat ore frustra pugnantem.
Et eum inuolutum genibus,& circum ceruicem
Vsque mandit:humi autem multæ iacent sparsæ
Reliquiæ micantes,& palpitantes cæde.
Ac fortasse te eius misereret,tametsi immitis valdè sit,
Crudiuorus,disiectus in multa diuisis cædibus.
Equos autem pascētis Libyæ in finibus multus vagatur
Innumerus,exitiosus exercitus varius anguium.
Verùm cùm prostratus ceruus arenosis in iugis
Solus fuit,eum statim inuasit vndique infestum
Examen infinitorum anguium,inuisæque phalanges
Venenatæ:cuti autem amaros impresserunt dentes,
Artubus omnibus cerui vndique circunfusi.
Alij quippe supernè conuerso capite,
Cilia & frontem lancinant malis:
Alij autem gracile collum & pectus infernè,
Et ilia & ventrem ore laniant:
Alij rursus vtrinque circum latera hærent:
Fœmora rursus alij & tergum superne depascuntur:
Alius verò alia ex parte infeste infixus pendet.
Cæterum ille omni genere abundans dolorum,
Primum quidem effugere cupit pernicibus pedibus:
Sed non vires habet.huiusmodi ipsum innumera turba
Varia circundat truculenta serpentum.
Tū igitur oppressus restitit vehemēti subactus necessi-
Mandit autem ore infinita hostilia genera: (tate:
Gemiscens verò doloribus quoquouersum vtraque ex
Nihil effugiens genus reptile profligat: (parte

Verùm illi non remittunt,ſed morientes manent,
Intrepidũ animũ habentes impudenti audacia mentis.
Et partim quidem malis laniauit,partim pedibus,
Et vngulis interemit:fluit autem in terram infinita
Sanies cruenta ab anguibus:membra autem ferarum
Artúſque ſemicomeſi humi palpitant:
Alia autem in latebribus fert rurſum ſemilaniata.
Quippe etiam mortui tenent acribus dentibus.
Cuti autem inhærentia capita ſola conſtricta ſunt.
Cæterum ille ſciens diuinitus quod ſortitus eſt donum,
Paſsim inueſtigat tenebroſum fluuij gurgitem.
Illinc cancellos charis malis mandens,
Medicamentũ quod per ſe didicit habet exitialis noxæ.
Statim autem amararũ quidem in terrã reliquię ferarũ
Deciderunt è cute ante pedes ſponte deuolutæ:
Vulnera autem vtrinque coaleſcunt dentium.
Viuit autem rurſus ceruus longum tempus:verè autem
Hominũ genus cũ celebrauit quattuor cornicũ ętatẽ
Alios autẽ vocãt homines rurſum platycerotes: (viuere.
Omnino cerui ſunt:naturam autem cornuum ſuprà
Qualem nomen feris ineſſe ſignificat,gerunt.
Alios autem vocant in ſaltibus damas,
Et illis cerui corpus:pellem autem in tergo
Maculoſam totam ferunt inſigniter variam,& vt ferarũ
Pantherarum notæ in pelle ſplendent.

Bubalus rurſum eſt minor corpore platycerote,
Minor platycerote:verum caprea multo præſtantior:
Oculis ſplendidus,amœnus colore,hilaris aſpectu:

Et cornuum recti quidem ex capite naſcuntur
Rami longi: in ſummo autem rurſum tergum verſus
Retrorſum flectuntur recuruis mucronibus.
Mirifice porrò iſtud genus ſuam domum amat,
Conſuetáque cubilia, charúmque in ſyluis tectum.
Quòd ſi eum tortis vinctum laqueis
Venatores ducant in alia protinus loca:
Procul autem in ſaltibus liberum illic relinquant,
Facilè ad dulces ædes venit, vbi antè habitabat:
Neque ſuſtinuit hoſpes aliquis apud exteros vagari.
Non igitur ſolis chara patria hominibus,
Etiã maculoſarũ deſyderiũ quoddã infuſum eſt animis
Iã verò perniciſsimorũ damarũ nota genera, (ferarũ.
Formãq; nouimus omnes, ſimiliter & magnitudinẽ, &
Perdices verò pugnaces, ignei, collo verſicolores (vires.
Cum damis amicitiam in ſaltibus inierunt,
Familiaréſque ſunt, & inter ſe contubernales:
Cubiliáq; propinqua habent, neque ſeorſum paſcũtur.
Profectò poſtea aliquando ſocietatem ilico amaram,
Et amicitiam ſenſerunt triſtem, quando homines
Aſtuti in miſeros callida conſilia moliti ſunt,
Perdices in damas charos illecebras comparantes:
Viciſsim autem damas in ſocios pariter perdices.

Caprarũ autẽ rurſum ſunt, ouiúmque immãſueta ge-
Non multo his ouibus & villoſis capris (nera,
Maiores, verũ ad currendũ veloces, fortéſq; ad pugnã-
Contortis in caput armati cornibus. (dum,
Robur autem rurſum ouibus in infeſtis frontibus.

Sæpe

Sæpenumero autem dato impetu in ſyluis ſtrauerunt
Etiam apros violentos humi palpitantes:
Nonnunquam autem inter ſe cominus irruentes
Pugnant: ingens autem in cœlum fragor venit:
Neque fugere fas eſt hoſtem eis:
Sed victoriam alterutri ferre inconcuſſa neceſsitas,
Aut mortuã iacere. huiuſmodi inter eas cõtẽtio coorta (eſt.
Capris autẽ feris quidã eſt per ipſos meatus dẽtes
Tenuis ſpiritus inter cornua, inde deinde
Ad ipſum cor, & in pulmones rectà peruadit.
Quòd ſi quis capræ ſylueſtris cerã cornibus circũlinat
Vitæ intercluſit vias, reſpirationíſque meatus.
Mirum autem in modũ mater teneros adhuc infantes
Suos liberos fouet: in ſenectute autem matrem liberi.
Vt autem homines parentem impeditum improbis
Senectutis vinculis, pedibus grauem, artubus incuruũ,
Imbecillũ manibus, tremulũ corpore, oculis caligantẽ,
Omni pietate, pſequẽtes prorſus indulgẽtiſsime tractãt,
Rependentes laborẽ æducationis in pueritia moleſtæ:
Sic caprarum fœtus charos fouent parentes
Decrepitos, cùm vincula triſtia artus illigant:
Pabulum nempe porrigunt roſcidum floridum
Decerptum ore, potum autem labris ſummis
Ex flumine ferunt hauſta atra aqua.
Lingua autem fouentes totum corpus tergent.
Quòd ſi laqueis ſolam matrem ceperis,
Protinus etiam manibus ceperis teneros agnos.
Illam enim cenſueris liberos verbis abigere

Precantem tali eminus balatu,
Fugite mihi chari liberi infauſtos venatores,
Ne me miſeram capti non matrem matrem reddatis.
Huiuſmodi fari putes:eos autem ſtantes coràm
Primùm quidẽ occinere lugubrẽ næniam circũ matrẽ.
Cæterùm deinde proloqui dixeris humana voce
Rupto balatu,oréque ſic ſonare
Loquentibus ſimiles,& precantibus pares:
Per Iouem precamur,per ipſam Dianam ſagittiferam
Liberato matrẽ mihi charã,preciũq; redẽptionis accipe,
Quod pẽdere poſſum⁹ miſeri pro matre calamitoſa,
Nos miſero natos fato:flecte tuum immitem animũ,
Verens & beatorum fas,& patris ſenectutem.
Certè tibi pater locupletis domo relictus eſt.
Talia quis cenſuerit precantes dicere.
Verum vbi illius cor inclemens viderint,
(Pudor ô quantus,quantum deſyderium eſt parentum)
Sponte vincti incedunt,& voluntarij tranſeunt.
Sunt autem oues rufæ,vltimæ in finibus Cretæ,
In humili regione Gortynia,quaterna habẽtes cornua:
Villus autem purpureus tergori obductus eſt,
Numeroſúſque,nec mollis,penè capræ ſimilis eſt,
Duriſsimis pilis aſper,non ouibus.
Talem ferè etiam ſubus habet rufum aſpectu
Colore ſplendidus,verùm non iam villoſum,
Neque rurſum quaternis munitum cornibus,
Verùm duobus validis ſuper lata fronte.
Ambiguæ vitæ etiam ſubus,nam etiam ille incedit.

Quando enim in profundũ vadit, celeres fluctus secãs,
Tum certe ingens multitudo simul per mare gradiens
Piscium sequitur, membra autem lambunt,
Delectati cornigero amico molle corpus habente subo.
Præcipuè vero pagri, & viles melanuri,
Et acus, & muli, & astacus vtrinque sequuntur.
Miraculum est istud, miraculũ ingens, quando bestias
Alieni solicitant amores & immanes illecebræ.
Non enim inter se tantum amoris mutui
Fœdus necessarium tribuit deus, neque quatenus eorũ
Genus propagaretur semper sobolescentis vitæ.
Miraculũ quidẽ erat etiã illud, obnoxia esse bruta genera
Vinculis voluptuariis, & sui generis illecebras sentire,
Et cupidinem non intelligentem in se miscere:
Quemadmodũ hominibus & prudẽtia & mens
Oculos aperuit, amorémque hausit animo.
Quòd si etiam alienis insaniunt in sublimi amoribus:
Cuiusmodi desyderium est illustribus ceruis
Attagenum? quantũ porro erga longis cornibus damas
Perdicũ? quî verò rursum pernicibus gaudent equis
Otides, quibus vernat semper hispidissima auris?
Psittacus rursum lupúsque vnà alius cũ alio pascuntur.
Semper enim desyderant lupi herbidi coloris auem.
Potẽtissime amor quãtus es, quãta tua immẽsa potestas,
Quantum cogitas, quantũ imperas, quantũ diue ludis.
Tellus est stabilis, telis tamen tuis quatitur.
Inquietus est pontus, tu tamen etiam eum sistis
Venisti in ætherem, nouit verò te vastus olympus.

Timent autem te omnia, & cœlum latum supernè,
Et sub terra quæ sunt & gentes miseræ mortuorum,
Qui obliuionem hauserũt in os molestiæ expertẽ aquã,
Et effugerũt dolores omnes, te tamẽ etiãnũ formidãt.
Tuis porrò viribus etiã procul terminus, quãtũ nũquã
Sol lucidus: tuo demum igni etiã lux cedit (cernet
Formidans, & Iouis similiter cedunt fulmina.
Huiusmodi sæue deus habes ignitas sagittas,
Amaras, feruidas, mentis corruptrices, stimulatrices,
Tabem spirantes, insanabiles, quibus etiam ipsas
Bestias cõcitasti ad nulla cõiũctione deuinctos amores.
Miraculũ est, quãdo per cornigerum ceruum pennati
Attagenes tergis maculosis insilientes,
Aut damis perdices alas densas iniicientes
Sudorem refrigerant, & recreant animum,
Vapore æstuoso passis alis:
Aut quando ante it sonipedem equum
Otis labens per aerem amabilis:
At sargi ad caprarũ greges accesserunt: ante vero subũ
Genus omne piscium vagabundum insaniit.
Sequũtur autẽ simul omnes, quando per sæuos fluctus
Eũt verò vtrinque læti: circùm autem mare (tendit.
Spumat candidis verberatum pinnis.
Verum ille non curans alienam amicitiam impius,
Marinos socios vorat ore cruento
Mandens: at illi necem oculis cernentes
Ne sic quidẽ oderunt, neq; relinquunt interfectorem.
Sube improbe, nefarie, etiam ipsi tibi postea

Marinum venatores parant exitium,
Tametsi dolosus es,& interfector piscium existis.
Est autẽ quædã syluarũ incola acutis cornibus fera
Sæui animi,oryx,formidandus bestiis maximè.
Huius scilicet color quidẽ tanquam verni lactis,
Solis in ore nigricantibus genis.
Duplex autem ei ponè dorsum opimum adipe:
A cuti porro cornuum altè prominent
Mucrones tetri,nigram speciem habentes:
Et ære acuto,ferróque atroci,
Saxóque duro superiores sunt,
Venenati, inanem autem naturam cornibus prædicãt.
Sed animus rursus orygibus audax & immanis.
Neque enim sagacis canis formidant latratum,
Non suis feri in rupibus fremitum:
Neque verò tauri vastum mugitum timent:
Pantherarum autem non vocem tristem horrent,
Neque ipsius fugiunt ingentem rugitum leonis,
Neque mortales curant impudenti audacia animi.
Sæpenumero autem in iugis periit robustus vir
Venator,cum orygibus cruentis congressus.
Quando autem viderit oryx animosam feram,
Aut aprum exertis dentibus, aut serratis dẽtibus leonẽ,
Aut tetrorũ vrsorum exitiosam audaciã,statim humi
Inclinat capútque,frontémque prorsus obfirmat
Connixus,& defixis humi acerbis telis
Irruẽtem expectat: eum autẽ interfecit vẽtris impetus.
Obliquã enim inclinans paulum cornigeram frontem,

Armis acutioribus obseruans incidit in feram.
Verùm illa non curat,sed effrenatè rectà incurrit
Acutis horrentibus innitens rupibus.
Quemadmodum autem in syluis irruente leone
Dianæ muneribus ornatus strenuus vir,
Venabulum fulgens tenens validis manibus,
Diducto passu expectat: cũ aũt immaniter excãdescẽtẽ
Excipit prominens ferens vtrinque scindens spiculum:
Sic oryges expectant irruentes tum feras
Sibi necem inferentes,sua vecordia oppetentes.
Facilè enim in pectoribus labũtur cuspides(cornuũ.)
Multum autem cruorem atrum ex vulneribus vtrinque
Profusum linguis suum ilico lambunt.
Neque verò effugere,ne cupientibus quidem licet:
Verum sese interficiunt mutua cæde.
Ac quispiam rusticus,aut armẽtarius,aut aliquis arator
Duo cadauera ante pedes nactus,
Prædam opimam habeat valde attonito animo.
Deinceps inter beluas cornigeras genera
Canere par est immanium elephantorum.
Illa enim in malis immania spicula duo,
Similia dentibus exertis,in cœlum eminentia,
Alij quidem ex vulgo tetros secuerunt dentes
Errantes:nobis verò cornua appellare
Placet.sic enim nobis natura cornuum ostendit.
Argumẽta verò nõ perspicua sunt liquidò ad cõiiciẽdũ
Quippe feris ꝓpagines malis ex superioribus(sunt)
Quæcunque cornibus,sursum se exerunt:

Sin deorsum spectent, planè sunt dentes.
Illis porrò duobus elephantinis cornibus
Radices quidem primùm ex capite nascuntur,
Ex magno magnæ tanquã fagorum: subter autẽ deinde
Latentes sub cute, subeuntes tempora
In malã extruduntur, è malis verò nudæ exeuntes.
Falsam vulgo opinionem præbuerunt dentium.
Quinetiã aliud hominibus illustrissimũ est argumentũ.
Omnes enim bestiis non flexibiles sunt dentes,
Neque artibus cedunt, sed implacabiles manent:
Quos arte reddere cornuum structor si velit
Latos, reluctantur pertinaciter: sin cogantur,
Franguntur in frusta refractarij: è cornibus autem
Arcúsque rotundi, & infinita conficiuntur opera.
Sic autem cornua illa, quæ appellant dentes
Ad flectendũ, ad dilatandum eborariis cedunt.
Iam bestiis proceritas quidem est quantã non in terra
Alia fera fert: dixeris conspicatus elephantum,
Aut iugum montis immensum, aut nubem tetram
Hyemem ferẽtem miseris mortalibus, per terrã ingredi.
Potens autem caput, cum aures exiguæ sint,
Cauæ, politæ: verùm oculi sunt
Minores quàm pro illo corpore, tametsi magni sunt,
Inter istos autem excurrit ingens nasus,
Gracilísque, obliquúsque, proboscida eum vocant.
Illa beluæ est manus, illa quæ volunt
Facile faciunt: pedum tamen non pares moduli.
Alte sanè anteriore parte multo magis attolluntur.

Pellis autem rursum corpus scabra & aspera circundat,
Fœdissima firmissimáq; , quã non sane ne validũ quidẽ
Acutum omniáque domans penetrarit ferrum.
Animus immanis est in opaca sylua,
Sęuus: cęterũ inter mortales cicur hominibúsq; blãdus.
Nempe in viridantibus, cliuosisque saltibus,
Et fagos, & oleastros, & ardua genera
Palmarum, radicitus humi strauit.
Incurrens acutis ingentibus genis.
Verùm vbi in hominum validis est manibus,
Obliuiscitur quidẽ sæuitiæ, reliquit verò eum sæuũ cor:
Tulit etiam iugum, & labris recepit frænos,
Et pueros tergo fert præceptores operum.
Fama autem quòd elephantes inter se loquuntur,
Vocem ex ore humanam barrientes.
Verum non omnibus audiri potest beluina vox.
Illam autem intelligunt soli mansuetarij viri:
Miraculũ verò etiã istud audiui, validissimos elephãtos
Diuinum in pectoribus habere cor, animo autem
Præsentire suæ mortis aduentantem necessitatem.
Non igitur solis in auibus sunt
Olores vates fletum vltimum concinentes:
Sed etiam inter beluas suum mortis terminum
Augurantes istud genus, næniam sibi faciunt.

Rhinoceros autem oryge quidẽ est corpore violento
Non multo maior, paulum autẽ super summũ nasum
Attollit cornu sæuum acutum, atrocem gladium:
Illo æs perforarit impetu facto,

Feriens

Feriens durúmque diuiserit saxum.
Ille, tametsi validum, inuadens elephantum,
Sæpenumero in puluere mortuũ talẽ & tantũ reddidit.
Leuiter porro in flaua pulchricoma fronte,
Et tergo, guttæ crebro purpurascunt.
Omnes autẽ masculi sunt, neq; vnquã fœmina cernitur:
Atque vnde, nõ didici: dico autẽ, non quòd didicerim:
Siue adeo è saxo sæuum istud genus exiit,
Siue eius loci indigenæ sunt, oriuntur autem ex terra,
Siue alij ex aliis monstrum ferum enascuntur
Absque amore, & absque nuptiis, & absque partu.
Iam etiam in humidis liquidas habentibus vias maris
Gurgitibus sponte nascentia germina, & matre carẽtia
Ostreũ, imbecillęq; apuæ, cõcharũq; genera, (genera
Et testacea, & turbines, & quæ in arena nascuntur.
Musa chara de paruis non mihi fas est canere,
Imbecillas relinquito feras, quibus non vires suppetunt,
Pantheras glaucas, & feles maleficas,
Quæque in domesticos armantur nidos:
Et paruulos, teneros, infirmósque glires:
Qui quidem toto dormiunt immoti
Hyberno tempore, corpus sopore ebrium habentes,
Miseri, vt neque cibum capiant, neque lucem cernant.
Verum in latebris suis soporem tantum habent,
Aut mortui iacent, gelida morte oppetita.
Verum cùm veris prima renidere cœperit facies,
Floréſque in prátis recenter pubuerint,
Pigrum mouent corpus intimo ex lustro,

Lumináque aperuerunt,& aspexerunt solis lumen,
Et iucundi noua quadã illecebra pastus meminerunt.
Rediuiui autem rursum reuixerunt glires.
Relinquo etiam hirtum genus imbecilli sciuri:
Qui quidem æstatis mediæ feruido tempore,
Caudam erigit tegumentum sponte laqueati domicilij.
Quomodo nempe pauones suam domum insignem
Curuam opacant elegantem,tergo toto distinctam.
Quibus nihil hominibus Iouis fabricata est prudentia
Formosius,iucundis oculis ad aspiciendum,
Nec quæcunque munificã per terrã parentẽ incedunt,
Nec quæcunque pennis per aera vastum meant,
Nec verò quæcunque in gurgitibus ęquos fluctus secãt:
Huiusmodi in alitibus egregiis micat
Auro purpureo mixtus ardens ignis.

Non memorabo horridum genus asperi erinacei
Maioris:duplices enim erinaceis aculeatis
Terrę species,horrénsque vndique ambiẽs tegumentũ.
Nam alij parui & imbecilli sunt
Paruis horrentes in eminentibus aculeis:
Alij verò etiã proceritate multo maiores,& vtrinque
Infestè horrent maioribus spiculis.
Relinquo tria genera improbarum scurrilitatẽ simiarũ.
Quis enim non oderit eiusmodi genus, fœdum specie,
Imbecillum,inuisum,aspectu fœdum,versutum?
Illæ etiã charos catulos deformes geminos cũ pepere-
Non vtriq; æqualẽ suam impertierũt charitatẽ: (runt,
Sed alteram partem amant,alteram oderunt fœtus.

Ipsis autem vlnis suorum trucidauit parentum.
Neque verò talparum terrigenam gentem
Herbis vescentium, cœcorum, canere volunt carmina:
Tametsi fama incredibilis per homines peruasit,
Talpas regis ex sanguine sese iactare.
Nam Phineum aliquãdo fulgidus infensus fuit Titan,
Phineo, quem nutriebat inclyta Thressa Colone
Fatiloqui Phœbi indignatus ob victoriam,
Et ei lucem ademit. obscœna autem genera misit,
Harpyias, pennigeram, domesticam, acerbam nationẽ.
Verum cùm nauigaret ad aurei velleris præmium
In Argo naui Iasoni opem ferentes,
Liberi boreales, Zetes, Calaísque inclyti,
Miserati sunt senem, & interfecerunt gentem,
Et iucundum membris dederunt ori cibum.
Verũ ne sic quidẽ sol iram sedauit, verùm ipsum repẽtẽ
Talparum fecit genus qui antea non erant,
Idcirco nunc & cœcum manet, & voxax cibi.

OPPIANI DE VENATIONE LIBER III.

SED quoniã cornigerarũ cecinimus
gentes ferarum,
Tauros & ceruos, & platycerotas insignes,
Et damas, oryges, & splendidas capreas,

Et alia quibus suprà capita armata sunt:
Nūc age sis serratis dētib' truculenta, musa memorem'
Carniuorarū ferarū, & exertis prædita dentibus genera.
Primum autē leoni inclytum tribuamus carmen.
Iouis erant altores præpotentis Saturnij
Infantis Curetes, quando recens natum ipsum
Sublatum, parentem immitem Saturnum
Decipiens furto filij Rhea in antris Cretæ:
Cœli filius autem cum videret fortem tenerum filium,
Primos mutauit Iouis custodes illustres,
Et feras reddidit mutatos Curetas.
Illi autem posteaquam consilio dei humanam speciem
Exuerunt Saturni, & induerunt leones,
Munere postea Iouis præclare imperant
Feris in montiū lustris stabulāribus, & horrificū perni-
Opis partu beatæ sub iugo vehunt. (cem currum
Varia autem genera illis & formæ feris singulis.
Quos igitur ad gurgites sonori fluuij,
Ad Istrum latè fluentem peperit sagittaria
Armenia, & Parthorum frugifera pascua terra,
Rutili sunt & non vsque adeo generosi.
Torosiorē quidē ferunt ceruicē, atque prægrāde caput,
Oculos autem fulgentes, & supercilia prominentia
Valde hispida ad nares, torua: ex ceruice autem
Et genis vtrinque agiles luxuriant iubæ.
Quos autem educat munifica Arabum rursum tellus,
Quam gentes hominum felicem vocant,
Colla etiam illis & pectora iubata,

Et ignis emicant ab oculis fulgores.
Egregiè porro inter omnes eximij ſunt:
Verum rarum horum genus habet immenſa tellus.
Magna autem in Africa gleboſa ſiticuloſa terra
Multitudo rudit validorum rugitum leonum,
Non iam iubata: exiguus autem ſupercurrit fulgor,
Horrẽdo autẽ ore, & ceruice, in omnibus autẽ artubus
Leuiter atrum cœruleo fert infectum florem:
Vis autẽ in membris immenſa, & inter leones
Imperatorios, Libyci longe præſtant leones.
Aliquãdo autem ab Æthiopia in Libyam venit terram,
Miraculum magnũ aſpectu, nigricans & iubatus,
Vaſto ſuprà capite, pedibus villoſis, oculis autẽ nigris,
Solo flauo rutilus ore.
Vidi, non audiui illam aliquando feram truculentam,
Imperatorióſque venit miſſus ad oculos.
Paſtu non egent ſingulis diebus genera leonum:
Verũ vnus cibis tribuitur, alter autẽ rurſum laboribus:
Neque ſomnum vltimis capit in ſpeluncis ſaxorum,
Palam verò dormit animi præſtantia fretus:
Dormit autẽ vbi oppreſſerit præpotens veſpertina nox.
Audiui rurſum etiã illud ex præfectis leonũ curæ iuue-
Dextra ſub manu ferre violentum leonem (nibus,
Torporem celerem, eo omnia ſoluere genua ferarum.
Quinquies autẽ fœmina in partu ſoluit zonam.
Fama verò eſt planè falſa, quòd vnum pariat.
Quinque parit primum: verum quattuor deinde
Parit catulos, & deinceps pauciores:

Ex vtero tertio tres exierunt,ex quarto autem
Duo catuli,vltimum autem vnum edidit mater
Ex ventre felici partu inclytum regem leonem.
Pardi autem funesti duplex genus,alij quidem sunt
Maiores specie,& torosiores latis tergis:
Alij autẽ etiã minores quidẽ,at viribus nihil deteriores.
Formæ autẽ vtrisque similiter varietate distinctæ sunt,
Præter vnam caudam,qua secus quàm spectantur:
Minoribus quidem maior est,proceris autem minor:
Compacta fœmora,longum corpus,oculus fulgens,
Glaucæ sunt pupillæ ciliis subter splendentibus,
Glaucæque simul sunt,& intus rubescunt,
Flagrantibus similes,igneæ:cæterum infra
Luridíque,venenatíque in ore dentes:
Pellis varia,& in colore candido,
Fusca,crebris nigricantibus oculis.
Pernicissimè currit,atque strenuè recta contrà inuadit.
Diceres,cùm videris,per aerem sublimem ferri.
Itidem etiam istud genus canunt poetæ
Olim fuisse Bacchi vuiferi nutrices:
Idcirco nunc quoque vino mirum in modum gaudẽt,
Cùm accipiunt ore Liberi patris ingens munus.
Quæ res ex hominibus venustas mutauerit mulieres
In hoc pantherarum genus sæuum,postea canam.
Iam verò aliud pernix geminum genus videas,
Lynces venustas:quædam enim sunt specie
Paruulæ,& in minores se armant lepores:
Aliæ autem maiores sunt,adoriuntúrque facilè

Cornigeros ceruos, & violentos oryges,
Formáque gemina penitus simili amictæ sunt,
Pares quidem genis, ab oculis fulgores
Blandè micant, capita autem vtrisque
Læta sunt, breuéque caput, & flaccida auris.
Solus autem aspectu dissimilis est color:
Minores quidem lynces ambit pellis rutila:
Maiores autem croceúsque sulphurique similis flos:
Præcipuè autem ista genera charam amant sobolem
Oculis blādæ lynces, & oculis ardētib⁹ truculēti leones,
Pantheræque tetræ, & tigres pernices.
Harum autem vbi catulos teneros in syluis
Clam rapuerunt intrepidi venatores,
Ipsæ autem deinde retro reuersæ viderunt
Repente vacuásque domos, & desertas ædes,
Lugent flebiliter magno fletu: longe autem
Gemitum mittunt querulum, quemadmodum patria
Expugnata sub hasta & incensa igni rapido,
Amplexæ natos miserè plangunt mulieres:
Scilicet tantum & fœtus & recentis ac teneræ sobolis
Amorem cordi instillauit deus, neque ideo solis
Hominibus, qui omnia ingenio inuenerunt,
Verumetiam serpentibus, & piscibus, atque etiam ipsis
Beluis crudiuoris, & præpetibus gregibus
Alitū: vsq; adeo natura firmissima (est) ex aliis rebus.
Cuiusmodi educationē catulorū in fluctibus delphis
Sēper agit, glaucúsq; cęsius, vitulúsq; marin⁹ tetrū olēs.
Ecquo verò pacto in alitib⁹ charitatē immutabilē habēt

Suorum natorũ,ofsifragæque, gemebundæq; colũbę,
Et aquilina genera, viuacésque cornices.
Quomodo verò gallina inędib',cótubernalis hominib'
Quæ paulo ante peperit,teneros lusitans circum pullos
Accipitrem super tecta delabentem conspicata,
Acutè quidem vociferatur repẽte, & prosilit acutè cu-
Ceruicẽ autẽ altè sustulit in aerem incuruans, (curiẽs:
Et omnibus vtrinque suis inhorrescit pinnis,
Et alas totas laxat in terram:illi autem trepidi
Sub muro alis optimè munito milites pipiunt pulli:
Ea autẽ etiã rursum terruit,& repulit alitẽ impudentẽ,
Seruans charos liberos,quos adhuc teneros alit,
Implumes,deglabrantiũ thalamorũ liberatos vinculo:
Sic etiam in feris rugientes leænæ,
Et pantheræ celeres,& tigres maculosæ,
Pro catulis propugnant,& cum venatoribus decertant,
Atque pro suis liberis sustinent interfici,
Contrà cum armatis congredientes hominibus
Neque vnquam horrent pro sua in certamine sobole,
Non multitudinẽ adorientem iaculatorum iuuenum,
Non æs fulgens,& micans ferrum,
Neque iactus missilium celeres, & molarium crebros.
Festinant autem aut antè mori,aut catulos seruare.

Vrsi autem feri,crudele genus,callidum,
Villo quidem denso,aspero amicti sunt:
Forma autem non honesta, penitus tristi & tetra facie,
Asperis dentibus,perniciosum,magnum os,ater nasus,
Oculus acris,pes celerrim',corpus vasto capite prędirũ,

Manus

Manus manibus hominum ſimiles, pedéſque pedibus,
Horrendus rugitus,fraudulentũ cor, ſubdolus animus,
Et multa venus,& ſine modo inceſſens.
Diebus enim & noctibus cupidæ amoris
Ipſæ fœminæ valde mares appetunt,
Paulùm intermittentes nuptiale iucundum cubile,
Fœtu prægnantes,vtero quando catuliunt.
Non enim feris cõſuetudo, vẽter quando grauidus eſt,
In cubile euntibus patrare venereum opus,
Solos præter lynces,imbecillóſque lepores.
Vrſa autem nuptiarum cupida,& pertæſa cubile
Viduum habere,tam grauia in fœtum ſuſtinuit moliri.
Antequam partus veniat tempus,antequã ſtatus dies
Ventrem expreſsit:vim autem adfert lucinæ Iunoni.
Tanta libido eſt,tantus impetus ad venerem.
Parit autem ſemiperfectum,& non formatum fœtum:
Carnem autem rudẽ,inarticulatam,informem ſpecie.
Simul autem libidini educationíque dat operam:
Recénſque fœta cùm eſt cum mare ſtatim cubat:
Lambítq; lingua charũ fœtum, quemadmodũ iuuenci
Lambunt linguis,inuicem alter ab altero
Oblectãtes, gaudet autẽ bouis cute pulchricornis bos:
Neque diſcedent priuſquam dulcis voluptas abierit.
Animum autem ſequentis lætitia afficiunt paſtoris:
Sic vrſa lingens,charos formauit fœtus,
Donec gannitu turpiter rugiant.
Iam verò hybernã mirum in modũ horret tẽpeſtatem
Quãuis villoſa ſit.nix autem cùm omnia conſternit

Occiduo Zephyro densè spargente
Conditur in spelunca, vbi tegmen idoneum latum:
Et cibo egens, pedes manúsque lingit
Tanquam sugens, & ventris fallit impetum.
Talia in gurgitibus lato æquore potentis maris
Polypi tortuosi in fluctibus fecerunt,
Hyeme qui media gelidas spirante minas,
Cōdūntur in vadorū crepidinibus, sua flagella rodētes.
Cæterùm vbi ver humidū almum florere cœperit,
Rami eis celeriter noui rursum crescunt:
Rursúmque flagella habētes vastum nauigant mare.
Deinceps memoremus pedibus valentem, acrium,
Pernicē, ventipedē, vngulis firmissimū, rapidū onagrū
Qui quidem est lætus corpore, amplus, latus aspectu,
Argēteus colore, auribus magnis, pernicissimus cursu.
Fascia autem nigra medium dorsum redimit,
Niueis vtrinque cincta septis:
Fœno vescitur, nutrit eum affatim herbas nutriēs terra.
Verùm ipse validis iucundus cibus est feris.
Genera autē ventipedū æmula sunt prorsus onagrorū,
Multísque mulieribus gaudentes insolescunt.
Fœminæ autē sequuntur quocunque maritus deducit.
Pastum eunt, cùm volunt imperare:
Ad fontes fluminū, ferarum vinum, rursúmque statim
Ad nemorosas domos, cùm vesper somnum adducit.
Riualitatem autem maribus omnibus in suos concitat
Liberos infantes immanis furor impudens.
Cùm enim fœmina habet partum Lucinæ,

Propè valdè ſedens ſuam ſobolem contrà obſeruat:
Et cum fœtus ad matris pedes cecidit,
Siquidem fœmina eſt, amat fœtum, & vtrinque
Lingua lambens charam ſobolem mulcet.
Maré autẽ ſiquidẽ videat, tum ſane tũ animũ concitat
Tetra æmulatione ignea parente immanis fera:
Proſilit autem cupiens pulli malis execare
Pudenda, ne quando recenti iuuentute pubeſcat.
Illa autem, quanquam fœta, & imbecilla partu,
Nato miſero bello appetito mater opitulatur.
Queadmodũ autẽ aliquãdo in bello funeſto corã matre
Infantem interficiunt truculenti milites,
Ipſamque retro diuellunt adhuc palpitanti cæde
Filio implicatam, perquàm flebiliter lamentantem,
Laniantem tenerámque genam, & ſub mammis
Sanguine perfuſam calido, tepidóque lacte;
Sic etiã fœmina onager ob natum omnino ſimilis eſt
Miſerum in modum flenti & infeliciter lamentanti.
Diceres calamitoſiſsimam ſuum natum defendentem
Blandè fari, & precantem dicere:
Mi vir, quid tuus vultus exaſperatur?
Quid porrò oculi rubeſcunt qui anteà fulgebant?
Non frontem cernis ſaxificæ coràm Meduſæ,
Non fœtum veneniuorum immaniſsimæ dracænæ,
Non catulum nefarium montiuagæ leænæ?
Natum miſera illũ pariebam, quem optabamus à diis.
Natum tuum malis tuis non marem reddes?
Cohibe te mi vir, ne caſtres. qd mihi caſtraſti? qd feciſti

Nato,nullum reddidisti,toto corpore mutilato.
Miserã me, prorsus calamitosa sum incõmodissimũ ob
Et tu nate miserrim' es ob sceleratissimũ parẽtẽ. (partũ:
Miserã me,termisera sum inanem fœtum quæ peperi.
Et tu nate,exectus non vnguibus leonum,
Verùm infestis malis leoninis parentis.
Talia quispiã calamitosissimã,suum circa infantẽ pullũ
Fari dicat:illum autem nihil curantem,cruento
Vorare ore nefandas nati dapes.
Iuppiter pater,quàm est æmulationis ferus animus.
Illam etiam natura superiorem videri
Fecisti ô rex:dedisti autẽ ignis acerrimum impetum.
Dextra autem ferendum adamantinũ præbuisti ensem.
Non liberos seruauit charos iucundis parentibus,
Non socios,affinésq; grassans,nó nouit consanguineos,
Quando sæua & immanis inuadit.
Illa etiam olim in suos armauit liberos
Ipsos semideos & inculpatas semideas,
Ægiden Theseum,& Æoliden Athamantem,
Et Atticam Prognen,& Thraciam Philomelam,
Colchidémque Medeam,illustrémque Themisto.
Verùm tamen secũdum genus mortalium miserorum
Feris Thyesteam nefariam apposuit mensam.
Est autem in præcipitiis in finibus Æthiopum
Ferorum equorum magna vis armata venenatis
Duobus dentibus exertis, pedum verò nõ vnã vngulã:
Vngulã autẽ rursum habent bifidam similem ceruis.
Iuba autem ceruicis medium dorsum cingens,

Ad caudam extremam pertinet, neque hominibus
Seruitium sustineret vnquam ferox genus tetrum,
Verùm si etiam aliquando capiant bene nexis laqueis
Equum ferum dolosis insidiis colorati Indi,
Neque cibum vult in labris protinus mandere,
Neque bibere: improbus autẽ est ad ferẽdũ iugũ seruile.
Spectato duo genera infausta, infesta dẽtibus serratis,
Ouiũq; interfectorẽ lupũ, calligãtẽmq; rursum hyęnã.
Hunc quidem ouilium, & caprilium profligatorem:
Illam autem hostem catulis, validioribúsque canibus.
Illũ quidem nocturnum ob vẽtris ineuitabilem impetũ
Candidorum hædorúmque versutum raptorem:
Illam autem noctu spatiantem, & noctiuagam
Proptereaq; ei noctu lumẽ est, tenebrę rursum interdiu.
Formæ autem vtrísque dissimiles feris sæuis.
Alterum enim canibus persimilem cernas
Maioribus pastoralibus, villosa autem addita est cauda.
Altera verò incuruatur medio dorso, vtrinq; aũt passim
Hirta est, consultum autem est corpus tetrum
Nigris vtrinque crebrò fasciis:
Gracilísque longáque est, & dorsum, & caudam,
Pellémque vtrísque prædicant dentibus
Horrificam: ex huius autẽ (corio) secans circum pedes
Si gestes, fers canum magnum terrorem validorum,
Et te canes in illis incedentem calceis
Contrà non allatrant, cùm tamen anteà latrarent.
Quòd si lupum deglubans, ex corio conficias
Tympanum sonorum Didymæum sterile,

Solum vtique inter omnia raucisonũ clangit sonitum,
Et solum strepit:alia autem sonora quæ anteà erant
Tympana silent,compescúntque omne murmur.
Nam & mortuæ oues mortuum lupum timent.
Prodigiũ porro etiã istud audiui de maculosis hyęnis:
Marem & fœminam mutari annua vice.
Et quidem interdum esse caligantem sponsum,
Assidue cupidum nuptiarũ,nonnunquã rursum videri
Fœminam coniugem,& fœtam matrem sedulam.
Verum luporum sunt cana quinque genera:
Formas autem inter se dissimiles obseruarunt
Homines pastores,quibus infestissima genera:
Primùm quidem quem vocant audacem sagittarium,
Argutus quidem toto habitu,verùm teretes artus,
Et caput gestat multò maius,& velocia crura:
Ventrem autem albicantem habet cana aspergine,
Horrẽdum autẽ in modũ vlulat & altè prorsus inuadit,
Semper quatiens caput,& trucibus cernens oculis.
Alter autẽ rursum magnitudine procerior: planè autẽ
Longus,inter omnes celerrimus lupos:
Quem homines accipitrémque & raptorem vocant.
Magno autẽ cum fremitu valde arduus it ad prædam
Sub primum crepusculum.facilè enim indiget cibo.
Color autem candidus splendet in lateribus & cauda:
Incolit autẽ montes vastos,eos autẽ vbi hyemis tẽpore
Ex nubibus profusa nix gelida operuit,
Tum sanè quoque prope vrbem venit fera sæua,
Omni impudentia operta cibi causa:

Clámque accedit valdéque quietus, quoad capram
Inuadat: eam auté repéte pernicibus vnguibus inuncat.
Est autem aliquis Tauri niuosis in rupibus
Versans, Cilicibúsque montibus, & tumulis Amani,
Pulcher specie inter feras eximius, quem quidem vocát
Aureum, fulgentem abunde comantibus villis:
Non lupus, verùm lupo præstantior sæuissima fera,
Labris æreis armata, ingens robore.
Sæpenumero itaque & æs rigidum, sæpenumero saxũ
Fortiter terebrauit, & spiculatum ferrum:
Et canem sirium nouit, & exorientem timet.
Itaque ilico hiatum subit latæ terræ,
Aut in speluncam tenebrosam, quoad æstus
Sol finem fecerit, & diræ caniculæ sidus.
Infatigati rursum duplices cruentũ gen⁹, ceruice parui,
Latísque armis, verùm hispidis fœmoribus:
Et pedibus, & capite parui, oculis exigui.
Quorum alter candido tergo, & ventre albo
Nitet: niger auté solorũ summis extremitatibus pedũ,
Quem quidam miluium canum homines vocarunt.
Cæterùm alter colore atro spectatur,
Minor quidem priore, cæterùm roboris non indigens.
Venatur autem mirum in modum in lepores ruens,
Omnésque ex artubus recti horrent pili.
Sæpenumero auté rursum lupi etiã cũ pantheris cruẽtis
Ad cubile accesserunt, vnde durissimi tergoris genera,
Thoes. simul autem ferunt duplicé mixtum colorem,
Matrem quidem pelle, capite autem rursum parentem

Tigridis autē deinceps insigne corpus canamus:
Qua non venustius natura præbuit solers
Oculis ad spectādum, in ferarum magna multitudine.
Tantum autem inter feras facilè excellit tigris,
Quantum inter aerias pauo pulcher volucres:
Omnino eam cernas monticolam tanquam leænam,
Præter solam pellem, qua varia circundata est,
Variè purpurascente, & floribus micante.
Talem quidem flammeum sub ciliis oculi
Fulgorem iaculantur, corpus autem tale est,
Validum, opimum talis longa cauda:
Tale circa rictum oris rostrum, tale suprà
Prominet supercilium, eodem modo frendent dentes.
Est autem pernicior pernicibus multò feris.
Ipsa enim cursu similis est fauonio parenti,
Neque tamen parenti: quis enim ista probare possit,
Quòd feræ comprimantur sub aere sponso?
Est enim illa vana fama, quod istud genus
Fœmineum totum est, & expers concubitus maris est.
Interdum enim videas floridum formosum marem.
Facilè enim non videas: quippe relicta sua sobole
Rapidè fugit, venatores vbi viderit.
At illa sequitur catulos, ex animóque mœsta
Voluptas magna venatoribus, ad casses ilico venit.
Aper autem martius multum præstat inter feras:
Cubilia quidē desiderat vltimis in recessib⁹ pcipitiorū.
Mirificè autem odit strepitum frementem ferarum.
Fœminam autem sine fine appetens errat,

Et

Et amore valde vecors ferocit, in ceruice autem rigidæ
Horrent setę, tanquam profusa crista comantiũ galearũ.
Et spumam stillatim fundit in terram, verùm dentium
Multum plangit candorem anhelitu feruido,
Et ira in nuptiis multò magis quàm verecundia.
Fœmina autem siquidem se summittens maneat,
Extinguit omnem iram, placat autem feræ impetum.
Quòd si aspernans fugiat venereum cubile,
Extemplo percitus feruido & igneo œstro,
Aut nuptias peregit ꝑ vim impetu violẽto subactá fœ-
Aut moribũdã humi abiecit dẽtib' exertis ruẽs. (mina,
Est autem quædam apri fama, in albo dente
Occultas intus esse feruidas igneas minas.
Argumentum autem hominibus perspicuum constat.
Cùm enim magna turba conferta venatorum
Cum canibus audacibus humi feram prostrauerunt
Venabulis longis crebro iaculatu conficientes,
Tum certè ex ceruice si quis euulsum pilum tenuem,
Feræ adhuc anhelantis admoueat denti,
Celerrime in orbem recurrit torridus pilus.
Quinetiam ipsis canibus in lateribus vtrinque,
Vbi apri malarum percusserunt feruidi dentes,
Vestigia adusta per pellem porriguntur.

Hystricibus autem nihil quicquam est in opaca sylua
Formidandum magis aspectu, neque funestius aliud.
Horũ nẽpe magnitudine quidẽ queadmodũ lupis fero-
Paulò minus est firmũ corpus: vtrinq; autẽ pellis (cib',
Asperis hispidis vndique horret aculeis,

Cuiusmodi armantur erinaceorum varia genera.
Verũ cùm eum persequũtur multò valentiores beluæ,
Tum certè molitur talia, acutis autẽ inhorrescit aculeis,
Atque retrorsum dorso præpilatum volucri
Rectà iaculatur noxium telum. vtrunque autem
Et fugit rapidè, & fugiens pugnat.
Sæpe interficit canem asperis dentibus truculentum:
Iuuenem arcus peritum iaculari. (sic diceres
Proinde quando eum venatores cernunt,
Non canes dimittunt, dolum autem moliuntur,
Quem posteà dicam, ferarum cædẽ cùm memorabo.
Ichneumon paruus quidem, verũ æquè ac magnæ
Describi feræ meretur ob solertiam,
Et ob virtutem strenuam in imbecillis artubus.
Quippe dolis interfecit duo genera
Et reptiles angues, & truculentos crocodilos
Illos Niloos, cruentum genus. cùm enim aliqua
Ex feris truculentis dormit, triplici serie constantibus
Labris, & hiatu vasto, & ingenti vario claustro,
Tum certè ichneumon fraudulentum consiliũ texens,
Limis oculis vastam beluam obseruat,
Quoad sanè altũ soporẽ in animo compertũ habuerit.
Statim autem in arena, & in luto volutatus
Ilicet emicat, portam transuolans mortis
Audaci corde, per latas autem peruasit fauces.
Cæterũ ille ex sopore grauiter anhelo expergiscitur mi-
Et malũ in ilibus gerens tantum insperatum, (ser,
Quocunque furens, & consilij inops circumuagatur,

Interdum quidem in fundum ruens vltimi fluuij:
Interdum autem rursum in arenis se voluens in terram,
Sæuũ in modũ spirãs, sese versans vndiq; ex doloribus:
Cæterũ ille nihil curat, iucundo verò delectatur pastu.
Iecori autem prope quàm maxime aßidens epulatur.
Tandem autem relicto inani corpore exilit è fera.
Ichneumon, ingẽs miraculũ, strenuißime, solertißime,
Quantã tuũ cor audaciã capit, quantũ (periculũ) subisti,
Proxime mortem tuũ corpus vndique qui constituisti.
Cęterùm aspidẽ virulentã eiusmodi interfecit consiliis.
Totum corpus in arena occuluit feræ insidians,
Præter solam caudam & oculos igneos.
Nam cauda ei procera anguineáque est,
Summitatibus more capitis similibus apicibus
Coràm nigricans, serpentum squamis similis.
Eam autem vbi turgidam viperam sibilantem vidit,
Contrà in gyrũ colligens prouocauit anguẽ teterrimũ:
Aspis autem venenatum cominus erexit caput,
Pectúsque tumefecit, durúmque subter exeruit dentẽ,
Pugnans malis incassum pestiferis.
Verum non ichneumon tunc bellicosus in arenis
Moratur, amaras verò exiliens comprehendit fauces.
Mordet autem malis se volutantem vtrinque,
Et mortuam ilico reddit frustrà expuentem
Acerbũ, mortis amicũ, plurimo felle suffusum venenũ.
Iam verò astuta inter agrestes maxime
Feras est vulpes, oppido martia animo,
Et prudens habitat vltimis in latibulis,

Septifores referens domos,perforatáque cubilia
Procul inter se,ne ei venatores viri
Circum ianuam insidiantes in laqueos inducant:
Sæuissima malis est, etiam ad comminus pugnandum
Cum feris fortioribus,& venaticis canibus.
Quando autem hyems est rigida,cibo autem eget:
Nudæ verò vites racemis circum circa cernuntur,
Tum certè etiam in feram acerbum consilium struit,
Et in alitibus dolo capiendis,& liberis leporum.
Memora mihi etiam illa ô facunda musa arguta
Mixta natura ferarum ex duobus confusa genera,
Pantheram tergo variã,& simul communem camelo.
Iuppiter pater q̃ solers,quot genera nobis seuisti,
Quanta mortalibus tribuisti,quanta marinis piscibus:
Qui istud fecisti,prorsus camelorum variam formam
Induens pellibus sæuis pantheris,
Splendidum,amœnum,mãsuetum genus hominibus.
Collum ei longum,maculis pictũ corpus,aures breues,
Glabrum supra caput,longi pedes,latæ plantæ,
Crurum autem non pares moduli, pedes non omnino
Verũ ei priores sunt lõgiores,posteriores autẽ (similes:
Multò breuiores,& subsidentibus similes.
Cæterùm ex medio capite duo cornua rectà emergũt,
Non cornu corneũ,verũ secundũ aures in medio capite
Imbecilli in temporibus oriuntur mucrones:
Satis patulum vt cerui tenerum os,tenuésque
Intus fixi sunt lactei vndique dentes.
Splendorem fulgentem vibrant oculi.

Cæterũ cauda breuis quemadmodũ velocibus damis,
Summis ponè nigricantibus villis.
Enimuero aliud genus meis vidi oculis,
Geminum, ingens prodigium, cum paſſere camelum,
Quam tamẽ velocibus annumeratam auibus,
Etiam volucrem mea canent carmina,
Propterea ꝙ noſtrę eam cepit ratio aſtuta venationis.
Non enim alitum eam domuit funeſtum viſcum,
Neque aereaın calami calcantes viam,
Verum equi catuliſque pernices,& oculti laquei.
Cuius ſcilicet magnitudo quidẽ immanis eſt,vt ſuperne
Dorſo lato geſtet tenerum puerum,
Et pedes proceri,ſimiles pigris camelis,
Veluti crebris compacti ſquamis
Rigidum vſque ad duplex genu:altè autem tollit
Paruũ quidẽ caput, magnũ autẽ prolixis obductũ pilis
Cœruleũ:illis magna(eſt) ala,nõ tamẽ ſuperne: (collũ
Boream autem verſus fremente roſcido auſtro,
Euro autem ineunte currit ad fauonij auras,
Inceſſente autẽ Zephyro,perniciter in eurum tendat:
Aeris altiuaga natant in via.
Verũtamen ad currendum pedibus pernicibus ſunt,
Ipſis habent parem celeritatem auibus.
Neque verò auibus ſimilis aſcenſus in cubile,
Queadmodũ bactrion genus,habẽt auerſam venerem.
Parit autẽ ingens ouum,quod capiat tantam alitem,
Vndique lapideis munitum putaminibus,
Lepores canamus venationis vberrimum fructum.

Corpus est paruum, hirtum, longissima auris
Paruum super caput, parui pedes, non paria crura.
Colore autem amicti sunt dissimili: alij quidem sunt
Cœrulei: obscuri autem atra in terra.
Rutili autem rursum alij in campis veluti miniatis.
Cæterũ grandibus pupillis præditi, cæsia fulgent oculi
Acie, vigiliis armata. nunquam enim
Soporem in ciliis dormitantes ceperunt,
Timẽtes & ferarũ impetũ, & hominum celerẽ solertiã.
Noctu etiam vigilant, & ad venerem paratæ sunt,
Perpetuo autẽ cupiunt nuptias: prope etiãnũ cum sint,
Nunquam recusant mariti salacem impetum:
Ne tũ quidẽ cum in vtero gestãt fœcũdã velocẽ sagittã.
Præcipuè enim istud gen⁹ ex iis quę immẽsa nutrit terra,
Fœcundum est. alius nempe extra vterum
Fœtus exit perfectus: alium autem intus
Absque pilo gestat, alium autem inchoatum auget:
Alium autem informẽ habet mucosum fœtũ aspectu.
Ordine verò parit, & nunquam fœmina impudens
Obliuiscitur libidinis, facit verò quicquid animus sua-
Ne in ipso quidẽ partus dolore recusans venerẽ. (det,

OPPIANI DE VENATIONE LIBER IIII.

SPECIES tam multæ ferarum, tot in
opaca sylua
Nuptiales amores & consuetudines
sunt,
Odiáq;, atrocésque pugnæ, syluestriá-
que cubilia.
Laboribus autẽ fungentiũ virorũ opus ingẽs canamus,
Vtrũque, & strenuã virtutem, & callidum consilium,
Fraudésque varias, sagacibúsque dolis
Munitum cor: istud quippe cum atrocibus generibus
Pugnat, quib⁹ deus virtutẽ largitus est & audaciã gene-
Et mẽtem, neq; ipsis multo minorẽ venatorib⁹. (rosã,
Modi multi sunt inclytæ numerosæ venationis
Idonei & feris, & nationibus, & saltibus
Infinita. ecquis omnia vna mente percipere posset,
Vt memoret aptè canoris carminibus?
Ecquis verò oĩa videre queat? quis aũt tãtũ cõtueri pos-
Mortalis qui sit? soli verò dei facile omnia cernunt. (sit
Ego verò dicam, quæ meis vidi oculis,
Venationem splendidam obiens in syluis:
Et quæ ex hominibus didici, quibus illa curæ sunt,
Callida variæ amœnæ mysteria artis:
Cupiens ista omnia Seuero Iouis filio
Canere: tu verò veneranda dea domina venationis
Propitia velocibus imperatoriis memorato auribus.

Vt tuorum operum prædoctus disciplinam omnem,
Feras interficiat, beatus pariter manu & cantu.
Ex feris quædam sunt prudentes, callidæ,
Verum corpore paruæ: aliæ contrà fortes,
Consilio autẽ in pectoribus imbecillę: aliæ autẽ pariter
Et corde timidæ, & membris sunt debiles,
Verũ pedibus pernices: quibusdã verò deus largitus est
Consiliũ astutũ, validas vires, velocia genua. (omnia,
Intelligunt autẽ quæque suæ naturæ præclara munera,
Vbi & debiles, & vbi sunt atroces.
Non ceruus cornibus (est) audax, sed cornibus taurus:
Non malis oryx fortis, malis leones:
Non pedibus rhinoceros fretus, pedes arma leporum:
Panthera nouit teterrima manuũ funestum venenum,
Et robur atrox ouis magnum lapideæ frontis:
Et aper vires nouit suorum immanes dentium.
Quæ igitur sunt venatoribus atrocibus
Seorsum in scopulis consiliáque laqueíque,
Distinctas memorabim' venationes in vna quaq; fera.
Communia autẽ ista sunt, simile autẽ sortiuntur carmẽ.
Cõmunes porro venationes cassium, cõmunes pedicæ,
Communia autem hominibus velocia omnia genera,
Equis & canibus persequi: interdum autem rursum
Et solis equis absque canibus rapidè agitare,
Equis (inquam) illis, qui in Mauritania terra
Nutriuntur, aut Libycis, qui non vi manuum
Anguntur lupatis vrgentis fræni.
Parent autem viminibus quocunque homo ducit.

Quocirca

Quocirca equites illorum sessores equorum,
Et canes relinquunt charos, freti autem venantur
Equis, solísque radiis, & absque adiutoribus.
Commune porro iaculari, & contrà sagittis ferire
Feras maiores, quæq; cū hominibus audacter pugnāt.
Versus autē casses necesse est dirigere gubernacula ve-
Et flatū ventorū fugere, & ventū obseruare, (nationis,
Quēadmodū autem pontigradorū lemborū scansores
Sedentes in puppibus nauium tractantes clauos, (viri
Aerem circunspiciunt, & albis austris
Parentes, pandunt veliuolarum carbasa nauium:
Sic etiam in terra iubeo venatores viros
Obseruare vtrinque spirantes ventos:
Vt retia tendant, vocéque agitent prorsus
Vento occurrentes, quandoquidē valde feris omnibus
Sagax est narium odoratus: quod si perceperit
Aut varorum odorem, aut extensorum retium,
Retro contendunt, conuersa autem fuga fugiunt
Cōtra ipsos venatores, laborē autē vanū reddiderūt ve-
Itaque mihi obseruent spirantes ventos (nationis.
Ferarū interfectores, varósq;, indaginémq; administrēt
Aduersum venti flatum, à tergo autem agitent
Austrum versus, sudifico spirante aquilone,
In boream autem, susurrante humido austro,
Euro autem flante, currant in fauonium ventum,
Crebrescente verò fauonio, celeriter in eurum agitent.
Verū tu mihi primū leonum eximiam venationem
Percipito, & virorum strenuam audaciam:

Locum quidem primum notarunt aduenientes,
Vbi in antris rugiens iubatus leo
Stabulatur, ingens terror boum, & ipsorum pastorum:
Feræ autem deinde horrendam circunspiciunt
Ex vestigiis tritis viam, in qua frequens
Iucundũ potũ potaturus flumen tranans rectà cõmeat.
Vbi scilicet foueam quidem rotundam circũ foderunt
Latam, & immensam: cæterùm in media fouea
Columnam extruunt magnam, altam, arduam.
Ab ista autem suspenderunt sublimem abripientes
Agnum tenerum abreptum à parente recens fœta.
Extra autem foueam ambientem sepserunt
Maceriam extructam crebris lapidibus,
Ne appropinquans dolosam foueam cernat.
Et quidem altè suspensus subrumus agnus balat:
Illius autem famelicum cor percussit balatus.
Quærens autem properat charo lætus animo,
Vestigium sequens balatus, huc & illuc
Circũspiciens igneis oculis, cito autẽ venit prope dolũ:
Circúmque vertitur, vehemens autẽ eum fames vrget.
Extemplo autẽ maceriam transiliit ventri obsequutus.
Excepit autẽ eũ hiatus vastus vndiq; septus, neq; intelle-
Quòd in foueã venerit improuisi barathri. (xit
Quocunque autẽ vertitur, reciprocus semper ruens.
Qualis circum metam certator pernix equus,
Pressus manibus, & aurigæ fræno.
Ex specula autem conspicua conspicati
Venatores accurrunt, sectilibus autem loris

Religatam demittunt bene textam affabrefactã caueã,
Et illic assum dolum occultatum ponunt cibum.
Cæterum ille ex fouea obseruans ilico fugit.
Sic sane in arenosa Afrorum sitiente terra.
Cæterum ad bene fluentis ripas Euphratis,
Equos quidem cæsios generosos parantes
Ad ferinum prælium, quandoquidem cæsij sunt
Pernicißimi ad currẽdũ, & audaces ad fortiter pugnã-
Et soli perferunt leonum coràm rugitum. (dum,
Alij autem timent, & declinant oculos,
Timentes principis sui micantem oculum,
Quemadmodũ dixi etiam ante in equinis carminibus.
Pedites autem expendũt retium sinuosam indaginem,
Casses crebrioribus extruentes varis.
Tantum autem rursum vtrinque sinuatur cornu,
Quantum inflectitur cornu recentis lunæ.
Tres autem explotant in retibus venatores,
Vnus medius, duo autem in summis cornibus,
Ita vt ex medio voce aliquid significante vtrisque,
Audiant vtrinque duorum extremæ alæ hominum.
Alij autem erigunt more belli funesti
Faces ardentes igne micantes vndique habentes.
Virorũ autem vnusquisque habet scutũ in manu læua,
Clypei in fragore, qui feris maximus est timor cruentis.
Dextera autem fert ex picea flagrantem ignem.
Valde enim timet ignis vim iubatus leo.
Neque intueri sustinet inconniuentibus oculis.
Illi autem vbi viderunt leonum generosum pectus,

Omnes pariter equites irruunt, vndique autem pedites
Sequuntur concrepantes. clamor auté æthera peruadit.
Feræ auté non manent, sed conuersa fuga discedunt,
Animo mordicus infrendentes, pugnare recusantes.
Vt enim pisces per noctem astuti piscatores
In retia dirigunt velocibus lembis gestantes
Ardentes faces: illi autem timent cernentes
Pisces, neque ferre possunt micantem fulgorem:
Itidem leones reges conniuent oculis,
Et tunc formidantes multitudiné hominũ, & flãmam
Sponte ad nexa retiũ ilia accesserunt. (thedarum,
Est auté quædam venationis tertia ratio Æthiopum
Infatigati laboris, magnũ miraculum: istud viri valentes
Æthiopes virtute freti quattuor faciunt:
Texta scuta conficiunt nexilibus viminibus
Fortia, & lateribus rotunda: corium autem bubulum
Siccum intendunt in clypeis rotundis,
Vt pręsidiũ sit aduersus vngues sęuos, maláſq; funestas.
Ipsi autem ouis flore vniuersum corpus induerunt,
Vincientes supernè crebris fasciis,
Et casides tegunt capita: sola autem cernes
Labra, & nasum, & oculos micantes.
In feram autem vadunt cum impetu fragoso,
Plagis crebris per aerem incessentes.
Cæterùm ille ex antro egressus immanis,
Rugit pandens funestum rictum contra viros,
Intuens cæsijs oculis fulgentem ignem,
Ira feruidus, similis infestis fulguribus.

Non huiuſmodi Gangis fluentum ſolem verſus
Indicam ſuper terram fuſcum populum peragrans
Rugit mugitum horrendum, cùm è rupibus
Erumpens operuit veniens corpus littoris:
Quíque etiã quanquã latiſsimus eſt, etiã viginti aliis
Incuruatur fluminibus intumeſcens rapido gurgite
Reſonat velut ſylua mirum in modum, & ſcopuli
Ad rugitum funeſtum, infremit autem totus æther.
Atq; ille quidẽ ſtatim impetũ facit cupiẽs ſe viſcerib' ſa-
Procellę hibernę perſimilis: verũ illi expectant (tiare,
Immoti flammeum ingruentem fremitum.
Cæterùm ille & vnguibus & malis funeſtis
Indomitus, quęcunque ceperit irruens diſcerpit.
Eum autem alius ponè apprimè vigens adoleſcens
Reuocat, & ſonitum excitans, & clarè vociferans.
Repente autem conuerſus magnanimus iubatus leo,
Impetũ facit relicto eo quẽ ceperat in ore, & rurſum a-
Ex obliquo iubatam ſtimulat feram nigram. (lius
Alij autem alia ex parte eum crebri agitant
Coriis freti, clypeíſque ac faſciis,
Quas neque validi malarum ſecant dentes,
Neque ferreorum vnguium penetrant cuſpides.
Cæterùm ille irritum cõſumit laborem temerè furens.
Aliũ quidem relinquens, aliũ autẽ à terra repente tollẽs
Sublimẽ, aliũ autem rurſum indomitus rectà adoriẽs.
Quẽadmodum autẽ cum in bello martiũ virum fortẽ
Hoſtilis cinxit corona feruidi prælij:
Cæterùm ille ſpirans virtutem martis, huc & illuc

Ruit, manu quatiens cruentam hastam.
Tandē autē eum interficit martius manipulus virorū,
Omnes simul ingruentes, ille autem succidit in terram
Confixus crebris longa præditis radice spiculis:
Itidem ille defatigatus irritis laboribus
Tandem mortalibus dedit præmia omnia pugnæ.
Spumam autem stillat humi oculo demisso.
Quemadmodum autem vir multis redimitus coronis
Pugillatus in certaminibus, ab homine valenti,
Comminus autem crebris sub plagis subactus,
Stat quidem primùm madidus sanguine largo,
Tāquā ex temulētia titubās, & in diuersū quassās caput.
Deinde verò in terrā succiduo poplitē sternitur:
Sic ille in arena exanimatos artus porrigit.
Illi autem tunc vrgent multo magis, statim autē superne
Omnes trahentes validis vinciunt vinculis
Nihil repugnantem, sed valde quietum manentem.
O multū audaces, quātū aīo cōceperūt, quātū patrarūt:
Truculentū illud monstrū, tanquā mansuetum arietem
(tolluat.
Audiui quòd foueis & simili fraude
Venantur etiam thoas impudentes, & genera
Pantherarum fallunt, verùm multò minoribus foueis.
Colūnam autē nō lapidibus, verū quercus secāt stipitē.
Neque verò sublimem captæ fœtum suspenderunt,
Sed canis: eius rursum genitalia ligarunt loris
Tenuibus: ille autem statim cruciatus doloribus
Vlulatu latrat, & pantheras inclamat.
Ea autem valde gaudet, & per quercum rectà ruit.

Veluti cum piſcatores naſſæ fraudem ſtatuerunt,
Quā texuerūt vimine Salaminio, & in viſcerib⁹ (naſſæ)
Polypum aut capitonem aſſantes poſuerunt.
Nidor autem in vada venit, & in naſſam
Piſces ſponte induxit, neque poſſunt
Rurſum redire, malam autem inuenerunt peſtem:
Sic illa catulum eminus audiens,
Accurrit, & ſalit, nullam arbitrata fraudem eſſe,
Ventri autem parens penetralia ſubiit barathri.
Pantheras & munera Liberi patris ſubegerunt,
Venatoribus vafris doloſum potum miſcentibus,
Nihil timentibus diuini iram Liberi patris.
Pantheræ nunc quidem ferarum genus, verum antea
Non feræ truculentæ, ſed glaucis oculis erant mulieres,
Temulētę pāpinigerę triēnalia celebrātes, florib⁹ redimi
Bacchi furioſi choreas excitantis nutrices. (tis capitib⁹,
Infantē enim Bacchum Agenoris neptis educauit Ino,
Mammā præbens primo lacte manantem filio Iouis.
Simul autem pariter nutriuit, & Autonoe & Agaue,
Veruntamen non in Athamantis nefandis ædibus,
Verum in monte, quem fœmur cognomine vocabant.
Iouis enim magnam coniugem valde formidantes,
Et Pentheum tyrannum filium Echionis timentes,
In abiegna ciſta Iouis ſobolem condiderunt,
Pellibus autē hinnulorū texerūt, & ſe coronarūt baccis
In antro etiā circa puerū archano ritu tripudiarunt.
Tympana autē pulſabāt, & cymbala manib⁹ quatiebāt,
Pueri vagitus latebras: primum autem oſtendebant

Bacchi ſacra occultam circum ciſtam:cum his autem
Bœoticæ occultè orgia celebrabant mulieres.
Ex monte autem fidis cœtum ſociis
Parabant vt irent Bœoticam extra terram.
Parabat enim iam,parabat inculta quæ ante fuerat
Terra ſtirpibus vigere ſub moleſtias diſcutiēte Baccho.
Ciſtam autem archanam ſacer cœtus tollentes
Mittentes tergo firmarunt aſini:
Euripi autem venerunt ad littora,vbi inuenerunt
Senem cum liberis piſcatorem:circum autem omnes
Piſcatores fundebantur,fretū lembis vt tranſmitterent:
Ille autem reuerentia ductus ſacras recepit mulieres.
Atque ei virens florebat in tranſtris ſmilax,
Puppem autem formoſum appium & hedera tegebāt:
Et ſuper mare in caput ſaltaſſent piſcatores,
Terrore ingenti conſternati:verùm ante
In terram ratis appulſa eſt: in Eubœam autem mulieres
In Ariſtei ædes deuenerunt Bacchum deportantes:
Qui quidem ſummū incolebat montē procul ab vrbe.
Plurima autem ruſticam vitam docuit hominum.
Primus ouium gregem conſtituit,primus ille
Baccas agreſtis pinguis triuit oliuæ,
Et coagulo primus lac preſsit,& in aluos
Ex quercu ſumptas manſuetas incluſit apes.
Qui tum etiam Liberum patrem infantem ſuo in antro
Inoes educauit acceptum ex ciſta.
Cùm Dryadibus autem nutriuit,& apiariis nymphis,
Et cum Euboicis puellis,& Bœoticis mulieribus.

Iam

Iam autem puer cum sociis pueris ludebat,
Ferula antè secta, dura sauciabat saxa.
Illa autẽ deo vinum iucundum ediderũt ex vulneribus.
Interdum autem agnos cum ipsis discerpebat pellibus,
Et membratim concidit, mortuos autem abiecit humi.
Rursũ autẽ mẽbra manibus nuper iuuenũ cõiungebat.
Illi autem ilico viuebant, viride autẽ capessebãt pabulũ.
Et iam thiasis curæ erat, & per totum
Orbem terrarum sparsa erãt munera Thyonæi Bacchi.
Quocũq; aũt mortalib' numẽ proficiscebatur ostẽdẽs.
Tandem autem & Thebas adiit, & circum puerum
Omnes obuiã profectæ sunt Thebanæ: cæterũ vesanus
Pentheus non ligatas manus ligabat Bacchi,
Et deũ homicidis minitabatur manibus se dilaniaturũ,
Non Tyrij Cadmi reueritus capillum canum,
Neque aduolutam suis pedibus Agauen.
Rapere autem miserè morituris suis imperabat sociis,
Rapere (inquam) & includere, cœtúmque abigebat mu
Igitur Bacchum Penthei satellites (lierum.
Vinculis existimabant ferreis duci,
Alijque Thebani: deum autẽ non attingebant vincula.
Dolore aũt cœpit irritari cor euãtibus: oẽs autẽ in terrã
Proiecerũt ex tẽporibus coronas, & thyrsos ex manib'.
Omnibus autem stillabãt euãtibus lachrymæ ex genis.
Statim autem exclamarunt, Euohe beate, ô Bacche,
Accende fulgur splendidum paternum, & concute
Terrã, atroci autem irrogato pœnam celeriter tyrãno.
Efficito autẽ in iugis mõtibus, igne sate, Pentheũ taurũ,

Taurum quidem Pentheum infandum, nos autē feras
Crudiuoras atrocibus armatas vnguibus:
Vt eum, ô Bacche, ore discerpamus.
Sic fatæ sunt precātes, cito autē audiit Nysius princeps,
Pentheum quidem taurinum fecit, atrocem oculum,
Ceruicémque suspēdit, cornu autem excitauit ex frōte.
Illis autem glaucum fecit feræ oculum:
Et malas armauit, notauit autem in dorso
Pellem maculis autumnalibus, & sæua fecit genera.
Illæ autem dei nūmine mutatæ sunt corpore pulchro
Pantheræ, Pentheum in rupibus dilaniarunt.
Talia autem canamus, talia animis credamus,
Quæq́ue Cythæronis in cliuis facinora mulierum.
Aut infandas illas alienas à Baccho
Matres, non sanctè mentiuntur poetæ.
Venator autem aliquis sic laqueum cum sociis aliis
Feras vini amantes instituit pantheras:
Fontem nacti, Africæ in siticulosa terra,
Quíque exiguus perquàm vasto aqua carente in tractu
Improuisè obscuram stillat nigram aquam:
Neq; longè funditur murmure, sed perquàm malignè
Manátque, reséśque manet, & in arenam conditur.
Vnde pantherarum genus immane vadit interdiu
Potaturum, illi autem ilico noctu profecti
Venatores ferunt viginti amphoras
Vini suauis, quod vndecimo anno
Calcauit quis in vineis colendarum stirpium studiosus:
Aquæ autem immiscuerunt suaue vinum, & relicto

Fonte rubro, non longè cubant,
Sedulò tegentes corpus validum, aut stragulis,
Aut ipsis retib⁹, quoniã operimẽtũ aliquod nõ possunt
Reperire, neque à lapidibus, neque frondosis arboribus.
Tota enim porrigitur arenosa, & arboribus carẽs regio.
Eas autem à flagrante sole percussas,
Vtrunque, & sitis, & iucundus allicit odor.
Ad fontem autem accesserũt Bacchicum, & atrã aquã
Lambunt Bacchum: aliæ autem in alias omnes
Saltitant quidem primùm, tripudiantibus similes,
Deinde corpore ingrauescũt, capitibus autẽ in terrã va-
Sensim nutant deorsum, deinde tandẽ omnes (stam
Sopor violentus humi prostrauit alibi aliam.
Vt autem cum in celebri conuiuio hauriẽtes ex crateris
Æquales adhuc pueri, adhuc pubentes lanugine prima,
Vinum suaue canunt prouocantes post epulas
Alij alios vtrinque mutuis poculis.
Serò autẽ desierunt, eos autem strauit aliũ super alium
Et ex præcordiis & oculis ingruens vis vini:
Itidèm illæ prorsus feræ aliæ in alias fusæ
Absque labore magno sub venatoribus fuerunt.
In vrsos moliuntur insignem admirandã venationẽ,
Tigrin qui incolunt, & Armeniam arcu inclytam.
Magna multitudo proficiscitur in altitudines syluarũ,
Periti numellatis cum sagacibus canibus,
Vestigia vestigarunt sæuarum errabunda ferarum.
Verùm vbi viderunt canes signa pedum,
Sequuntur, venatoresque vestigantes ducunt simul,

Nares quidem longas prope ſolum ponentes,
Retro autem ſi quod recentius viderint
Veſtigium properantes, emicant ilico geſtientes,
Obliti ſuperiorũ veſtigiorũ: vbi autẽ ad finẽ peruenerũt
Feliciter errantis veſtigationis, & ad feræ ſolers cubile,
Statim ille proſilit è manu venatoris
Miſerum in modum latrans lætus mirificè animo,
Quẽadmodũ autẽ cùm virgo lacte exuperãtis veris tẽ-
Nudis pedibus per montes omnes vagatur, (pore,
Flores quærens, ipſi autem valde longè exiſtenti
Fragrantem antequam videat violam nunciauit odor:
Eo autem valde gaudet, exultat autem animus facilis:
Vagatur autem inſatiabilis, redimito verò capite
Proficiſcitur in ruſticorum ædes canens parentum:
Itidem canis lætatur animus audax, venator autem
Etiam valde ipſum præcipitem vi retinens loris
Exultans, reuertens repetit turbam ſociorum.
His verò & luſtrum feræ indicauit, & feram amaram.
Ipſe etiã particeps certaminis vbi inſidiãtes reliquerũt:
Illi autem feſtinantes perticas erexerunt validas,
Retiáque expenderunt, & caſſes circundederunt.
Duos autẽ ſedere fecerũt in duobus vtrinque cornibus
Viros in ſummis cuſtodiẽtes retibus in melinis rupib',
Iam ex ipſis cornibus, & iuuenibus ianitoribus,
Ad læuam quidem funem bene tortum porrigunt
Longum lineum, paulum ſupra terram,
Quoad ad vmbilicum hominis veniat funis tortus,
Ex quo quidem ſuſpenduntur variè illuſtres

Colores fasciarum, versicolor formido ferarum.
Ex eo autem suspenduntur pinnæ infinitę corùscantes,
Auium quidem acriarum formosæ alæ,
Vulturum, albórúmq; olorũ, procerarúmq; ciconiarũ.
Dextra autem insidias sub rupibus collocant,
Quæ virẽtib' frõdib' celeriter cõstruxerũt vmbracula.
Paulum autẽ alij ab aliis quaternos contexerunt in vno
Homines, ramis totũ corpus circundantes. (quoque
Cæterùm vbi, vt decet, parata omnia sunt,
Clasſicũ increpat horrendũ in modũ: illa autẽ ex cubili
Acute rugit prosiliens, & acute circunspicit rugiens.
Iuuenes autem inuadunt conferti, vtrinque autem
Contra beluam vadunt cateruatim territantes:
Illa autem tumultum relinquens & viros rectà fertur,
Nudum vbi videt campum vastum: illinc deinde
Maximo cum fragore excitant ad supercilium lineæ
Pellentes, & formidinẽ versicolorem: illa autẽ improba
Incerta sui omnino propulsa fertur.
Omnia autẽ simul timet, cateruam, fragorem, tubam,
Formidolosam lineam: nam spirante vento (clamorẽ,
Fasciæ suprà per aerem agitant,
Agitatæ autem pennæ argutæ sibilant.
Itaque cernens in casses rectà tendit.
Incidit autem in lineas plagas: qui autem prope sunt
In summis retiũ cornib' emicãt, & properãtes superne
Tormentũ sparto cõfectum tendũt: rotundũ autẽ aliud
Cumularũt rete. valde enim tum sæuiũt (super aliud
Vrsi, & malis, & improbis manibus.

Sæpenumero auté repente effugerunt viros venatores,
Retiáq; eiſaſerũt: territã auté reddiderunt venationem.
Verum tum fortis aliquis vir manum vinxit
Vrſi dextram, ademit autem omnem impetum.
Vinxítque ſcienter, tetendítque ad fuſtem aliquam,
Et rurſum incluſit cauea ex arbore picea,
Quæ multis voluminibus ſuum corpus inuoluerat.
Oportet autem à iugo quidem arduo & monte
Perſequi deſiderantem pernicia genera leporum,
Et in pronum prudente calliditate pellere.
Ilico enim canes & venatores vbi viderunt
In collem rectà contendunt, nam certo ſciunt
Quòd anteriori parte ſunt breuiores pedes ipſis.
Itaque faciles leporibus ſunt colles,
Faciles (inquam) leporibus, difficiles equitibus.
Iam verò à via, in culta pellere.
Leuiores enim ſunt in callibus, & pedibus agiles.
Facile enim inſultant: in dura autem terra,
Et æſtate ingraueſcunt pedes, & hyemis tempore
Crurum tenus terram ſoleam ferunt.
Quod ſi capias damã, caueto ne poſt multum
Porrectum, longúmque curſum, & finem laboris
Paulum requieſcat, ex ilibus autem vrinam reddat.
Nam damæ mirificè curſibus in mediis
Veſica vexantur, neceſſario imbre
Grauatæ, ilia autem ad coxam vſque ſubſidunt.
Quod ſi paulum reſpirarint ex anhelis faucibus,
Multò vegetiores celerioréſque ſunt,

Genibus agilioribus, & extis leuioribus:
Vulpes autē neque laqueis capi poteſt, neque retibus,
Neque caſsibus. poteſt enim ſolertia deprehendere:
Poteſt autem rurſum funem ſecare, & nodos ſoluere,
Et callidis fraudibus euadere mortem.
Verū canes eam ceperunt crebri, neque tamen illi,
Tametſi validi ſint, ſine ſanguine interfecerunt.

Oppianus ex Cilicia: Romam venit tpe Antonini Caracallae circa ann. 200. Poeta absolutissimus. C. Bona

DESCRIBEBAT, ET TYPIS MANDABAT GVIL. MORELIVS, LVTETIÆ PARISIORVM, M. D. LV.

Pr

MADRIGALI
DI
GIOVAMBATISTA
STROZZI.

[redacted]

Con LicenZa, e Priuilegio.



IN FIRENZE,
Nella Stamperia del Sermartelli.
MDXCIII.

[redacted]

ALL'ILLVSTRISSIMO SIGNOR LEONE STROZZI

Generale delle Battaglie di Santa Chieſa.

Lorenzo, e Filippo Strozzi.

PAREVA a noi, che i preſenti Madrigali haueſſero a baſtanza conſeguito il lor fine, poi che il noſtro padre non per altro compoſti gli haueua, che per ſodisfare a ſe, e per compiacerne gli amici. per ciò non ſi ſono fino a qui dati alle ſtampe, benche molti ne habbiano molte volte fatto inſtanza non piccola; Ma ſe vna pittura, ò vna ſtatua dall'artefice per proprio diletto fabbricata puo anco ad altri apportare piacere, e a' piu intendenti far riconoſcere, e apparare le perfezioni dell'arte, che vieta, che vna poeſia per recreazione di animo

ſcritta, ſia vtile ad operare il medeſimo in chi legge? Già ſappiamo, che a gli anni paſſati eſſendoſi ſparſi alcuni di queſti, e di altri ſuoi Madrigali in diuerſe parti; molti nobili ingegni ſi ſon moſsi a poetare in queſta maniera di rime, la quale non eſſendo per l'addietro vſitata, fu per ciò da lui principalmente eletta: e come che egli molto bene conoſceſſe, eſſere a sì breue poema appropriati i concetti vmili, e grazioſi, tentò nondimeno di racchiuderui ancora gli alti, e graui; il che ſe felicemente gli ſia riuſcito, il giudizio ſià di coloro, che prenderanno a leggere il libro, del quale ora noi a V.S.Ill. facciamo dono, con ferma ſperanza debba eſſerle non diſcaro; sì per l'opera in ſe; sì per riſguardo dell'autore, che a lei fu congiunto non meno di volontà che di ſangue; sì per cagione di noi; che ſiamo affezionatiſsimi alla grandezza del ſuo valore; il quale Iddio ſempre feliciti, & eſalti. Di Fiorenza, il dì primo di Maggio dell'anno MDXCIII.

TAVOLA DE' MADRIGALI.

A

Ape,

B

C

Candide

D

Entra

F

G

H

I

L.

Lasso

M

N

I

L

Lasso

M

N

O

P

S

Taciti

T

V

IL FINE.